15. 5. 421

15. E. 5.

Digitized by Google

RESPONSUM

AD QUARTUM DUBIUM

PROUT

In Kalendario Senen. Anni
1745. p. 61. 62.

AB ADM. R. D.

JOANNE BAPTISTA CENTENI

EJUSDEM SACRÆ EPHEMERIDIS COMPOSITORE

VINDICATUM.

SENIS apud Bonettos Typis Publicis MDCCXXXXVI. *Superior. permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
Benevolo Lectori

QUum in re Divina curanda, & in Eccleſiaſticis ritibus ad normam, atque præſcriptum S. Romanæ Eccleſiæ cæterarum Matris, & Magiſtræ peragendis, maxima ſit adhibenda diligentia, iiſque præſertim hoc onus incumbat, qui Sacris ritibus regendis præficiuntur, operæ pretium duxi, Amice Lector, hunc libellum meis Typis excuſum palam facere, ut quibus maximè convenit, commodum afferat, & juvamen. Invenies hic peracutam quandam defenſionem Reſponſi ad dubium quartum, quod videre eſt in appendice Ordinis celebrandi Officii Anni proximè elapſi 1745. & hujus defenſionis occaſione plura habebis documenta Sacrorum quorundam rituum, qui uſu laudabili, atque immemorabili in Senenſi Metropolitana Eccleſia ſervantur. Reſponſi, ac defenſionis idem eſt auctor: qui quam in hoc libello exarando navavit operam, perire potius, quàm

publica luce frui decreviſſet, ni ſibi maximè cordi eſſet, non tantùm ſuæ famæ conſulere, quam olim pro ſua, quæcumque illa fuerit, diligentia in Cæremoniarum præfectura ſubſtinenda ſibi comparavit, verum & illius ornatiſſimi Viri auctoritatem tueri, cujus juſſu prædictum ordinem celebrandi Officii, quæque in eo continentur, explanavit, & Metropolitanæ Eccleſiæ veteres, ac laudabiles uſus pro virili defendere. Igitur penes te, bone Lector, erit de hac controverſia, deque aliis, quæ hujuſce controverſiæ occaſione pertractantur, judicium. Faxit Deus, ut expoſita veritas dignoſcatur, & juxta veritatem cognitam, quæ ſunt adimplenda perficiantur.

Digitized by Google

ADSIT DEUS

IN Moſaica Lege præcepit Deus exactè ſervari Sacras cæremonias, decernens præmia obedientibus, ſupplicia tranſgredientibus intentans, [a]: ſi tantum ergo zelum habuit pro illis, noſtrarum umbris, quid pro iſtis, tanto perfectioribus, quanto perfectior Lex gratiæ, (b) cujus Sacræ cæremoniæ ornamentum nuncupari poſſunt? Id proſpiciens Eccleſia divino afflatu (c) virtuteque poteſtatis ſibi a Chriſto traditæ, (d) Sacras Leges, & Ritus inſtituit, (e) ut Sacri Miniſtri, & cæremoniarum curatores (f) ſciant veram normam in earum praxi tenendam, merendi gratia divinas promiſſiones, evitandique flagella; Decrevit inſuper in illis nos uti luminibus, ſacris veſtibus, nolis, thymiamate &c. [g] ut ſcilicet ex his viſibilibus mens fidelium ad inviſibilia rapiatur; [h] & ſicut in Cœleſti Jeruſalem pro meritorum ratione differt ſtella a ſtella, (i) ita in militanti voluit differre feſtum a feſto, aſſignans unicuique debitum ritum, vel primæ, vel ſecundæ claſſis &c. (k) ut Fideles ab excellentia ritus, ab externa magnificentia, a feſtivo æris campani ſonitu &c. agnoſcant exiſtimationem illius myſterii, ſeu feſti currentis, & ſe diſponant ad conſecutionem fructus conſiſtentis potiſſimum in majori veneratione Religionis, & in obſequioſa divinæ Majeſtatis de-

(a) Levit. cap. 5. Deut. cap. 6. 7. 8. (b) Hebr. 7. (c) Jo. 14. 16. (d) Jo: 21 (e) Rub. Miſſ. Brev. Cærem. Ep. (f) Cærem. Cap. 5. p. 20. (g) Cærem. plur. in loc. (h) Greg. hom. 11. Conc. Trid. SS. 22. Cap. 5. Cærem. in præf. Corſet. in præf. (i) 1. Corint. 15. (k) Rubric. Brev.

deprecatione [a] Ideò jure, meritoque aſſerit Summus Pont. Innocentius III. omnes ſacras cæremonias inventas eſſe ad divinam clementiam obtinendam, cum ſit ars Divinitus revelata, & a SS. PP. Divino inſtinctu decreta (b)

Ex hoc profecto agnoſcant Eccleſiæ Miniſtri, & Cæremoniarum præfecti, non mediocrem eſſe gloriam Dei, & animarum fructum, in diligentia Sacrorum Rituum, ſi tamen ii in uſum deducantur non ad proprium cujuſque arbitrium, ſed juxta perpetuam, conſtantemque cujuſvis Eccleſiæ conſuetudinem, præcipue verò illius, quæ eſt omnium Mater, ac Princeps, a qua nunquam diſceſſit Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Metropolitanæ Senenſis Capitulum. Hinc in ſumma veneratione fuerunt ſemper habiti ab hac Provincia Senen. ejus uſus adhibiti in Sacris Ritibus & Cæremoniis, & hinc Illa, quavis oblata ſibi occaſione, ipſius oraculum ſuper hujuſmodi negociis conſuluit, ut noviſſime feciſſe legitur in Calendario Anni 1745. quatuor proponens dubia, ſuper quibus, ego, cui demandata erat cura conficiendi Calendarii illius Anni, quid ipſemet ſentirem, rogatus, tenuitatem meam intelligens, quæ mea eſſet ſententia, dicere recuſavi, ſed ad evitandum errorem, uſus fui aliena authoritate, adducendo communem ſenſum Eccleſiæ, & Rubriciſtarũ, & eadem Provincia inſtante, in Ordinario appoſui.

Hinc ad quartum dubium hujuſce generis -- *An cum in Cathedrali poſt Completorium, aſſiſtente Capitulo, recitetur Matutinum cum Laudibus de feſto 1. claſſis, v. g. de Nat. S. Jo: Baptiſtæ, vel de SS. Apoſt. Petro, & Paulo infra oct. Corporis Chriſti occurrentibus, fungi debeat munere Hebdomadarii Canonicus, prout in 1. veſp. factum fuit*: Reſponſum dedi, ut ſequitur, ſummis laudib. extollendo Sanctum, & indubitatum uſum Illuſtriſs. ac Reverendiſſimi Capituli -- Ad 4. Reſp. *Affir-*

(a) Ceccop. lib. 2. n. 69. (b) Paris Craſſ. in ſuo Cærem. pag. 3. Cap. 2.

Affirmativè, ſuppoſita tamen ſemper præſentia Capituli; Eccleſia enim dum præſcribit in Cærem. Epiſcop. ritum de perſolvendis ſolemniter Matutinis, & Laudibus, intendit aliquando, & ab aliquibus in praxim deduci; quis illum negabit Solemnioribus diebus, qui dies ſunt feſti primæ claſſis, ait Cæremoniale lib. 1. Cap. 3.? quis pariter non affirmaverit teneri ad d. Ritum Eccleſias primarias, & inſignia Capitula, quibus primò dirigitur a Pontificibus Cæremoniale? & præcipiente tali ritu Pluvialia, & thurificationem ad Laudes, ut earum ritus correſpondeat primis Veſperis, ſicuti mandat Eccleſia, exerceat oportet Canonicus officium Hebdomadarii. In hoc ſummis laudibus dignum eſt Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum noſtræ Metropolitanæ Capitulum, quod aſſiſtens Matutino, & Laudibus, non ſolùm primæ claſſis, ſed etiam ſecundæ facit, ut ſemper præſtet munus hebdomadarii Canonicus, idque jure, ac merito, nam, ſi in dd. feſtis hebdomadarius ſemper eſt Canonicus ad horam Tertiam, quæ eſt una ex minoribus horis, abſurdum eſſet, ſi ceſſaret Canonicus ab officio hebdomadarii ad Matutinum, & Laudes, cum ſint nobiliores, & majoris notæ. --

Verùm occurrente elapſo Anno 1745. Nativitate S. Jo: Baptiſtæ in die octava Corporis Chriſti, in ejus pervigilio fuerunt ad inſtar ſolemnitatum in Metropolitana, abſente Revmo D. Decano hebdomadario, celebratæ primæ Veſperæ per Revmum D. Præpoſitum Pluviali indutum aſſiſtentibus ſex aliis Eccleſiaſticis pariter, prout de more noſtræ Eccleſiæ, cum Pluvialibus; abſoluto demum Completorio, recitatum fuit, præſente Capitulo Matutinum cum Laudibus, præſtante (quis unquam crederet?) munus hebdomadarii uno ex DD. Capellanis, prout antecedentibus diebus in officio ſemiduplici, permittente, & ſuadente R. D. Rectore Cæremoniarum, conſilium ſuum corroborante tribus ſequentibus rationibus, quarum Prima -- *Non adeſſe in Metropolitana talem conſuetudinem, ut, præſente Capitulo, Canonicus*

non iens praſtet munus hebdomadarii ad Matutinum, & Laudes Feſti S. Jo: Baptiſtæ occurrentis infra octavam Corporis Chriſti. Secunda -- *Adeſſe eum uſum in Metropolitana, ut præſente Capitulo Canonicus exerceat munus Hebdomadarii ad primum Matutinum Corporis Chriſti, & ad primum Viſitationis B. M. V. tantùm*. Tertia -- *Cum eo Anno* 1745. *in pervigilio S. Jo: Baptiſtæ inciderit munus hebdomadarii in Perſonam Reverendiſs. D. Decani primæ Dignitatis, exercente eò ad Matutinum S. Jo: Baptiſtæ munus Hebdomadarii, oportuiſſe, ut in tertio nocturno legerentur duæ primæ lectiones, non a duobus Canonicis, ad quos ſecundum ordinem inceptum ſpectabat legere, ſed a duabus primis Dignitatibus in choro exiſtentibus, unde fuiſſet neceſſariò interruptus inceptus ordo*.

Summopere veneror dd. rationes, uti procedentes a doctiſſimo Cæremoniarum Magiſtro, de quo ſummam præmefero exiſtimationem, præfulgente virtutibus omnibus, quibus præditus ſit oportet, quicumque ritus docet, & cæremonias, ut docemur a Clariſſimo Civitatis noſtræ lumine Ænea Sylvio Piccolomineo optimis quibuſque artibus inſtituto, atque inter cætera Sacrorum Rituū, & Cæremoniarū peritiſſimo, qui doctrina, ſcientia, ac ſantitate viam ſibi ſtravit ad Summi Pontificatus apicem, Pius Secundus dictus: ille enim ait -- *Quiſquis deſtinabitur huic cæremoniarum diſciplinæ, ſit oportet in corpore robuſtiſſimus, in arte ſcientiſſimus, ingentes promptitudine circumſpectiſſimus; ut pro omnibus laboret, de omnibus ratiocinetur, & omnibus per omnia ſatisfaciat: ita regulariter ſeſe in ſuis expeditionibus gerens, ut quæcumque fecerit, fierive docuerit, exemplaria ſint: quoniam ſicut nihil ſine doctore, & exemplo diſcitur, ita nihil ſine uſu, & experientia docetur*. (a)

Nihilominus in enunciata Solemnitate viſum fuit per-

[a] Paris Craſſ. pag. 5. cap. 2.

agere aliud omnino ab eo, quod in Calendario a me confecto præſcriptum fuerat, ideo non defuerunt, qui me redarguerent, quaſi falſum dixiſſem circa allegatum uſum, & ritum attuliſſem feſto S. Jo: Baptiſtæ indebitum.

Quare hujuſmodi a me criminationem depellere, multo etiam magis Reverendiſs. Capituli Senen. exiſtimationem ex Sacrorum rituum ſtudio, ac diligentia in hac tota Provincia integram adhuc, & celebrem, ſed novo hoc abuſu aliquantulum imminutam, ac læſam, tueri, & vindicare, operæ pretium duxi, cum præcipuè id ſine ulla ipſius culpa contigerit; ſcire etenim Sacrarum cæremoniarum ritum non ad Capitulum ſpectat, ſed ad eum, qui hanc diſciplinam profitetur, & monitoris munus exercet, cui cæteros parere, ut docet Cærem. *Lib.* 1. *Cap.* 5. ipſum rationem reddere neceſſe eſt, juxta citata Pii Secundi verba *De omnibus ratiocinetur, & omnibus per omnia ſatisfaciat*; nec non juxta documentum Pontificis Alexandri VII., qui, ut pluries audivi, in actuali actione Sacræ functionis animadvertens Aſſiſtentes non acquieſcere ritui Magiſtri cæremoniarum, ait *Antiſtiti rituum eſt obediendum, cum onere reddendi rationem*. Hoc tamen oraculum prolatum fuit, quando prudentia erat, ut ageretur ad præſcriptum Rectoris Cæremoniarum, utpote in ipſo actu functionis; & in hoc ſenſu loqui cenſendum eſt Cæremoniale Epiſcoporum, docens obediendũ eſſe a Canonicis Rectori Cæremoniarum; Quum verò per tempus licet, debent omnino Canonici Præfectum Cæremoniarum admonere, ut Sacra actio juxta veram, rectamque methodum exerceatur, cum in tali hypotheſi non habeat locum nec dictus textus Cæremonialis, nec Pontificium vivæ vocis oraculum.

Ita in re noſtra erat faciendum, paucis enim diebus ante pervigilium S. Jo: Bapt. præmonitus fuerat Cæremoniarum Rector de præſcriptis in Ephemeride; at ipſe etſi ſciret, per

me eam fuiſſe compoſitam, & meum eſse de iis omnibus, quæ in illa continerentur, rationem reddere, non mecum, ſed cum aliis potiùs verba fecit de ritu ſervando in Matutino S. Joannis Baptiſtæ, de uſu noſtri capituli, deque præſcriptis in Calendario, quo facto id unum affirmavit, aliter, atque in Ephemeride præſcripſeram, uſum ſe habere, quod niſi dixiſſet, ac inveteratam conſuetudinem melius conſuluiſſet, cui præcipuè cum multis aliis inhæſeram, vel ſi a me ſciſcitatus eſſet, quibus motus rationibus id ſtatuiſſem, profectò in praxim deducta fuiſſent monita Ephemeridis, ac immunis ipſe fuiſſet ab hac juſta cenſura, quòd protulerit ſententiam falſa ſuffultam ratione, & ad alium Judicem ſpectantem, quum conſtitutiones Capitulares ſuper his rebus decernant Judicem Reverendiſs. D. Chori Priorem [a]. Igitur manifeſtè apparet omiſſionem Hebdomadarii Canonicalis in d. Matutino, malè fuiſſe, & data opera admiſſam.

Quum inſuper ageretur de re palam nota tam de jure, quam de facto. *De Jure* quia Calendarium nil aliud eſt, quam Lex Eccleſiæ; *de Facto* quia quum omnibus notum ſit, fieri Hebdomadarium a Canonico ad horam Tertiæ in die S. Joannis, & ad Matutinum Viſitationis, quæ omnia inferiora ſunt in ordine, ritu, & ſolemnitate Matutino Præcurſoris, quis eſt, quin ſatis clarè intelligat, idem multo magis fuiſſe retinendum in hoc, de quo agitur, Matutino? ideo conveniens videbatur, non ſolùm maturè fuiſſe procedendum, ſed etiam tuendum, & ad praxim reducendum Calendarii præſcriptum. Sed ponamus in trutina rationes D. Præfecti Cæremoniarum, incipiendo a prima, quæ ita ſe habet -- *Non adeſſe in Metropolitana conſuetudinem, ut præſente Capitulo Canonicus præſtet munus Hebdomadarii ad Matutinum, & Laudes S. Jo: Baptiſtæ occurrentis infra octavam Corporis Chriſti*. Reſ-

(a) Conſtit. Capitul, Rubr. 3.

Reſpondeo omnino id falſum eſſe, tam in ordine ad antiqua, quam ad noviſſima tempora, ut infra probatur.

In Bibliotheca Illuſtriſſimi olim D. Uberti Benevolentii extat quidam liber cujus titulus *Prologus in libro de ordine Officiorum Senen. Eccleſia*. Is autem liber duas in partes diviſus eſt. Altera titulum, ſeu inſcriptionem præfert, quam ſupra attulimus, & ordinem deſcribit Divinorum Officiorum, qualis eo tempore in noſtra Eccleſia adhibebatur; ejuſque exemplar, quod ad primam partem, aſſerit D. Benevolentius apud Ughellum tom. 3. p. 555. aſſervari in Tabulario Metropolitanæ, & tempore Epiſcopi Bonfilii aſſumpti ad Senen. Epiſcopatum anno 1216. fuiſſe conſcriptum a D. Oderico Canonico Senen. Eccleſiæ e vivis exempto anno 1235. Altera verò ejuſdem libri pars, cujus titulus -- *Ordo Divinorum officiorum Metropolitana Senen. deſcripta anno* 1714. oſtendit Sacrorum Rituum noviſſimam conſuetudinem hujus Metropolitanæ Eccleſiæ, quæ conſuetudo, quum partim ex antiquis ejuſdem Metropolitanæ uſibus, partim ex Romanæ Eccleſiæ ritibus ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. D. Leonardo Marſilio Archiepiſcopo ſapientiſſimè introducta, & ſervata fuerit, merito ab omnibus magno eſt in pretio habenda; ipſius enim peritia tam excellens, tum in omnibus facultatibus, tum in Sacris Ritibus, & Cæremoniis fuit, ut in rebus id genus multi illum conſulerent, inter quos ipſa Sacra rituum Congregatio, pluresque Eminentiſſimi Patres, totiuſque Italiæ Illuſtriſſimi Præſules, prout ex innumeris Epiſtolis, poſt illius obitum inventis, conſtat, ac præcipue ex libro, cujus titulus *Efemeride della Funzione delle Mitre* impreſſo Beneventi anno 1702. in quo, poſt exactam narrationem totius Sacræ actionis habitæ in benedictione, & impoſitione infularum Beneventano Capitulo ab Eminentiſs. Urſino poſtea Bened. XIII. p. 52. ſic legitur -- *Tutta la Sacra funzione fu dal primo fino all' ultimo diretta da peritiſſimi Ce-*

rim

rimoniſti, giuſta il metodo dottamente formato dall' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Monſig. Marſilj Arciveſcovo di Siena Prelato riguardevole per bontà, ammirato per dottrina, venerato per zelo, e nobile per naſcita & juxta doctrinam noſtri Præſulis fuerunt a præcitato Eminentiſs. Urſino in lucem editi duo libri, quorum titulus -- *Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ pro functionibus perſolvendis Archiepiſcopo celebrante, vel aſſiſtente; & pro Eccleſiis Parochialibus, quibus unicus Sacerdos inſervit*, Beneventi impreſſi anno *1695*.

Si tanti ergo ponderis, tanti nominis, tantæque venerationis apud Urbem Romanam, apud Viros tam præclaros, ac tot Diœceſes fuerunt hujus Præſulis circa Sacros ritus inſtructiones, & conſilia, hiccine in Patria, ubi ille natus, ubi educatus, hiccine in Eccleſia, ubi annos unum, & triginta, ritus, & Cæremonias ad admirationem verbo, & exemplo docuit, ea a Civibus ſuis parvi pendenda? non feram, non patiar.

Si ea quæ continentur in dicta ſecunda parte citati libri, eſſent penes Capitulum, Chori Priorem, Magiſtrum Rituum, Sacrarii Præfectos, in ſuo robore firmiter perſeverarent noſtræ Eccleſiæ conſuetudines, nec eſſet opus, ut alius alium, quid in dies ſingulos agendum, rogaret, in ipſo enim apparet, ad quem ſpectet onus Hebdomadarii, quot pluvialia adhibenda, quando, & qualis dandus æris campani ſonitus, ad quam Aram ſint Divina Officia perſolvenda, quænam ſint onera Muſicorum, Organiſtæ, uno verbo, omnia, quæ, & a quibus in decurſu totius Anni ſunt in noſtra Eccleſia peragenda. Quæ quum omnia, & ſingula inoffenſo pede in praxim deduci poſſint, utpote quæ innixa antiquis, iiſque maxime laudandis noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ conſuetudinibus, & perexcellenti peritiſſimi, ac celeberrimi Antiſtitis doctrina, non dubito, quin Illuſtriſs., ac Reverendiſs. Capitulum apud futurum Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Archie-

Archiepiſcopum in eam curam incumbat, ut omne malum ſemen ab Eccleſia ejus ſponſa evellatur, ac ne electum triticum Sacrarum Cæremoniarum ſuffocetur, ſed illæſum integrumque ſervetur, prout ſummo ſtudio ſervatum fuit ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D.D. Alexandro Zondadario. Sed redeamus ad noſtram quæſtionem.

In prima ergo parte præcitati libri p. 371. 72. 73. in quibus agitur de Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, inter alia in ejus pervigilio hæc habentur -- *Ad Veſperas prius Fratres Canonici in majori Eccleſia & Veſperum Sanctæ Mariæ* (*a*), *& de feſto aliquantulum diſcurſum dicunt* (*b*), *poſtea his dictis ſtatim ſit tertia pulſatio, & tunc vadunt omnes in Plebem* (*c*), *ubi tali die totus Clerus Civitatis cum D. Epiſcopo veſperis intereſſe conſuevit, & Benedicamus Domino cantatur ſolemne. More tandem poſt ſolis occaſum in Plebe vigilia cum tribus Pſalmis, & Lectionibus celebratur* [*d*]. *Ad Matutinum* Regem Præcurſoris, *& omnia ſolemniter fiant*, & aliquibus prætermiſſis ita ſubſequitur; *Poſtea hora congrua in Plebe major Miſſa a D. Epiſcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono ſolemniter celebratur.* --

His poſitis, cum de Matutino legantur hæc verba -- *Omnia* 1.
ſolemniter fiant -- ergo, inquam, ſolemniter Matutinum celebrant, & quia principalis ſolemnitas Matutini fundatur in

(*a*) Quotidie Canonici ſolvebant officium Beatæ Mariæ, aliquibus diebus exceptis p. 457.

(*b*) In d. libro p. 504. & multis in locis conſtat frequens concio in Miſſa ad Populum habita, ſed de hoc ſermone ad Veſperas non loquitur, niſi in feſto S. Jo: Baptiſtæ.

(*c*) Cauſam recitandi Divina Officia in Plebe, puto fuiſſe, quia non erat in noſtra Eccleſia Cappella Præcurſori dicata, nec Sacra ejus Dextera.

(*d*) Erat conſuetudo in noſtra Eccleſia aliquibus Feſtis congrua hora in ſolis occaſu congregatis Clero, & Populo recitare tres Pſalmos cum tribus lectionibus, & Laudibus feſti currentis, & totum hoc nuncupabatur vigilia p. 322. & 452. & poſtea hora ſtatuta perſolvebant totum Matutinum incipiendo ab initio.

Digitized by Google

in uſu Pluvialium ad Laudes, & thurificationis ad Canticum Zachariæ, & hæc omnia preſente Capitulo a Canonico ſunt præſtanda, ergo etiam jam tum uſus a me præſcriptus in Calendario vigebat, & non caſu, ut hodie infra octavam Corporis Chriſti tantum, ſed quot annis, quum citatus liber loquatur præcisè de Feſtis annuis, & conſuetis noſtræ Eccleſiæ; neque poterat fieri reſtrictio ad octavam Corporis Chriſti, quia hoc feſtum ea tempeſtate non erat, quum inſtitutum ſit ab Urbano IV. acclamato Pontifice anno 1261., & ad Cœleſtia evocato 1264.

Præterea contra rationem D. Rectoris Cæremoniarum reclamant Conſtitutiones Capitulares in lucem editæ 1579.
2. in quibus *ſub Rub.* 26. ſi attentè perpendantur illius verba, habetur, quod munus Hebdomadarii diebus Feſtis in qualibet parte Divini Officii, quæ coram Capitulo perſolveretur, non permittebatur niſi Canonico. An dubitandum eſt quin Capitulum Choro interfuerit die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quæ quidem non modo feſtum, ſed ſolemne feſtum eſt? cujus ſolemnitas jam multo ante vigebat, uti videre eſt in Cæremoniali Romano anni 1582. adnumerante hoc feſtum inter ſolemnitates, ſicuti etiam per hos dies monſtrat teneri Cappellam Papalem, quæ non habetur niſi in feſtis conſpicuis?

Inſuper quum tum temporis Eccleſia celebraret feſtum Corporis Chriſti cum octava, & indulgentiis pro iis, qui in choro intereſſent, ſi quis denegaret præſentiam Capituli Matutino S. Joannis occurrentis infra octavam Corporis Chriſti irrogaret injuriam pietati illorum DD. Canonicorum; ideo ſi in noſtro caſu non eſt dubitandum de præſentia Capituli, fateri oportet etiam tum per id tempus in Matutino, & Laudibus S. Joannis infra octavam Corporis Chriſti occurrentis fungi officio Hebdomadarii Canonicum.

Inſtabis eam Rubricam 26. loqui de officio recitando diebus

diebus feſtis ſtrictim ſumptis, ideſt de media nocte ad mediam noctem, prout intendit Eccleſia in abſtinentia ab operibus ſervilibus, non autem de officio, quod recitatur in pervigilio ſubſequentis feſti, cum nondum inceperit præceptum feſti.

℞. Licet *Bonac. tom. 2. diſp. 5. queſt. unica p. 1. n. 7.* aſſerat apud alios feſta incipere a primis Veſperis, apud nonnullos a media nocte, apud aliquos ab initio ipſius diei, attamen conſuetudo eſt, quæ habet vim Legis, utpote ab omnibus recepta, ut pro operibus ſervilibus incipiat a media nocte, pro Divinis Officjis a primis Veſperis juxta Divinum Oraculum *A Veſpera uſque ad Veſperam celebrabitis Sabbata veſtra* (*a*) & ut clarè conſtat in Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 1. p. 173. & ex conceſſione indulgentiarum initium habentium a primis Veſperis; ideoque quando a Rubricis nominatur feſtum, ſemper intelligitur ejus exordium a primis Veſperis; & revera hoc Romæ quoque ab ipſo ſummo Pontifice uſurpari ſcimus, & in Papali Cappella nonniſi primas Veſperas ſolemniter celebrari nemo non novit. Quis autem tam rerum ignarus eſt, ut neſciat primas Veſperas ſecundis eſse ſolemniores? Quum autem illa *Rub. 26.* dicat fieri Hebdomadarium coram Capitulo a Canonico in feſtis, id faciendum in 1. Veſp. & proſequendum in Matut. cum Cæremoniale lib. 2. cap. *6.* & 7. doceat illud celebrari eo ritu, adhibito in primis Veſperis; Quum ergo ex dictis hucuſque, & præcipuè n. 1. & 2. conſtet extitiſse uſum Hebdomadarii Canonicalis ad Matutinum S. Joannis, & extra, & intra octavam Corporis Chriſti priſcis temporibus; videamus, quid de hoc uſu ſentiendum ſit noviſſimis diebus. Sed priuſquam dicere incipiam, ſinite quæſo, ut de me ipſo pauca præmittam.

Anno autem 1692. non plures quam undecim annos natus

(*a*) Levit. Cap. 23.

natus, inter Clericos Metropolitanæ fui, licet immerito
cooptatus, & prima Tonſura initiatus. Tum intima neſcio
qua animi vi, repente excitatus ad ſcientiam Sacrorum
Rituum, atque Cæremoniarum applicui animum. Ex illo
omnem meam operam, omnes meas vires, & omne ſtu-
dium converti ad ſacras conſuetudines noſtræ Eccleſiæ uſque
ad obitum Archiepiſcopi Marſilii ad Annum ſcilicet 1713.
Fluxerunt igitur anni quatuor ſuper ſeculi medietatem, qui-
bus præ oculis habeo Senenſis Eccleſiæ uſus.

Jam inde ergo ab Anno 1692. uſque ad 8. Aprilis
1713. feſtum S. Joannis fuit celebratum infra octavam
Corporis Chriſti 1696. 1699. 1707. 1710. & hiſce oculis
egomet vidi obiiſſe officium Hebdomadarii in Matutino S.
Jo: Baptiſtæ Archiepiſcopo in Choro præſente Canonicum,
& juratus aſserere auſim in tali munere inter cæteros fuiſ-
ſe Reverendiſs. olim D. Canonicum Matium Spannocchj;
Pro hujus rei, quam aſsetui, confirmatione videatur liber
D. Benevolentii, in cujus ſecunda parte in Cap. a qui-
3. bus celebrentur Divina Officia p. 19. ita legitur *Sextum*
notandum, quod infra octavam Corporis Chriſti, ſi occurrant
Nativitas S. Jo: Baptiſtæ, vel Feſtum SS. Apoſtolorum Petri,
& Pauli, in tali caſu in illorum Matutinis, cum Laudibus
facit officium Hebdomadarii Canonicus & p. 145. in Cap. de
thurificatione, ita habetur. *Quando Nativitas S. Jo: Bapti-*
4. *ſta, & Feſt. SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli occurrunt infra*
octavam Corporis Chriſti, in eorum pervigiliis ad Benedictus
adhibetur thurificatio. Sed hæc in noſtra Eccleſia non adhi-
betur niſi a Canonico hebdomadario Pluviali induto; ergo
in noſtra Eccleſia adeſt uſus a me in Kalendario prænotatus.
Diluta prima D. Cæremoniarji ratione, ecce ad alteram
accedo, ſcilicet -- *Adeſſe uſum in Metropolitana, quod præ-*
ſente Capitulo Canonicus exerceat Hebdomadarium ad primum
Matutinum Corporis Chriſti, & ad primum Viſitationis B. M.
V. tantum. ℞. Con-

Reſp. Contractam propoſitionem nullius eſse numeri, adeoque eam me pro nihilo habere. Qua fronte audeat ille in lucem hæc prodere, neſcio! unde illi tanta licentia, unde libertas, ignoro! quum Canonicus adhibeat officium Hebdomadarii, etiam in triduo Paſſionis, & in nocte Nat. D. N. J. C. niſi præſtetur ab Archiepiſcopo, quæ nulla indigent probatione, cum omnibus innoteſcant, & prænotata habeantur in libro D. Benevolentii P. 2. p. 19. & alibi; & cum noſtro Magiſtro Ceremoniarum non ſint abſcondita, præſupponendum eſt, illum protuliſse ſuam propoſitionem diverſo ſenſu, ab eo, quem verba præſeferunt, pro cujus agnitione, infraſcripta ſcire puto neceſſarium

Sciendum eſt primò, Capitulum intra annum aſſiſtere Matutino in nocte Nativitatis, in triduo Paſſionis, & in feſtis Corporis Chriſti, Viſitationis B. M. V. & per totam octavam utriuſque feſti tantum. 5.

Sciendum eſt ſecundò, in ſupradictis Solemnitatibus triplici modo fieri officium Hebdomadarii a Canonico in earum. Matutinis: In nocte Nativitatis, excluſis Laudibus, Canonicus peragit officium Hebdomadarii, occupans ſedem Hebdomadarii, cum habitu Canonicali, uſque ad octavam Lectionem, qua lecta, una cum duobus Cappellanis, accipit Pluviale, nec illud deponit, niſi ad Miſsam, & ea abſoluta, omnes Capitulares redeunt ad proprias Domos, & a ſolis Cappellanis abſque ſolemnitate dicuntur Laudes. 6.

In triduo Paſſionis Canonicus præſtat onus Hebdomadarii ad Matutinum cum Laudibus non reſidens in Sede Hebdomadarii, ſed in Sede ſua, ut cæteri Canonici, & ſemper cum habitu Canonicali, quia ad Laudes in tanta mœſtitia Eccleſia nec Pluvialia, nec Thuriſicationem permittit; Orationem verò *Reſpice* niſi recitetur ab Archiepiſcopo, dicit ante Aram genuflexus inter alios Canonicos nulla loci habita ratione. 7.

Digitized by Google

.8 In feſtis verò Corporis Chriſti, & Viſitationis ad primum eorum Matutinum cum Laudibus præſtat Canonicus officium Hebdomadarii apud particularem ſuam reſidentiam cum habitu Canonicali uſque ad octavam lectionem incluſive, qua decantata, Ipſe, & duo Beneficiati induunt ſe Pluvialibus, & poſt thurificationem *ad Benedictus* abſolutis Laudibus diſcedunt. Præmiſſis ergo perpenſis.

Luculentiſſimè apparet, quemadmodum Cæremoniarum Præfectus in ſua propoſitione non alium ſermonem inſtituat quam de ritu perſolvendo in Matutino cum ſolemnitate pluvialium, & thurificationis ad Laudes, ut de feſtis Corporis Chriſti, pariter ac Viſitationis commemoravimus. Quum ita ſe res habeat, ſic ego, prævia diſtinctione impugnationi ejus occurro; quæſtio eſt de uſu jugi, & annuo Senenſi Eccleſiæ familiari, & communi? do ultro manus, & ire pedibus in illius ſententiam non erubeſco; non enim quot annis, ſi duo feſta ſupra expreſſa excipias, nec de more, Capitulum celebrat Matutinum primæ, aut ſecundæ claſſis cum pluvialibus, & thurificatione ad Laudes *ut N.* 8. Quæſtio eſt de alio uſu interdum accidere ſolito? ab ejus ſtatim ſententia abhorreo, diſcrepo, & diſſentio, eoquod præter morem, & ordinem infra octavam Corporis Chriſti Capitulum ſolemnizat Matutinum SS. Jo: Baptiſtæ & Apoſtolorum Petri, & Pauli *ut n.* 3. *&* 4. iiſdem Solelemnitatibus, prout de Feſtis Corporis Chriſti, & Viſitationis dictum fuit *n.* 8.

Quum res igitur clara per ſe, & in aperto ſit, quoties Capitulum ad celebrandum Matutinum primæ, vel ſecundæ claſſis accedit, non alium, quàm Canonicum obire tunc munus Hebdomadarii, quum exploratum pariter ſit, eum honorem attribui infra octavam Corporis Chriſti Matutinis SS. Jo: Baptiſtæ, & Apoſtolorum *ut n.* 3. *&* 4. cur in his quoque Hebdomadarii vices non explebit Canonicus? ergo

Digitized by Google

ne inglorius qui primatum obtinet? ergo ne ab omni honore vacuus Eccleſiæ ritus, qui princeps dicitur? præclaram ſane, ac prope ſingularem tanti Magiſtri doctrinam! quo jure tamen, quave auctoritate id faciat, faciendumve præcipiat, ipſe videat, hoc unum tantum dixerim, ejus infirmis argumentationibus, nulla in re ſententiam meam labefactari.

Anteaquàm ergo a ſententia diſcedam, excludat oportet ille a Matutinis SS. Jo: Baptiſtæ, & Apoſtolorum Canonicum Hebdomadarium, quod facere certè nemo unus, quin ſit Deo, hominibuſque infeſtus, audebit unquam; nec (ſi omnia licere ſibi velit) profecto quiſquam bonus faciet. Spoliaret enim monilibus ſuis pretioſiſſimis Eccleſiam noſtram, ritibus ſcilicet ſuis, ac cæremoniis tam pulcram, tam decoram, tantoque ſplendore illuſtratam.

Profectò ſi velit cæremoniarum antiſtes præciſam propoſitionem ſuam nobis illatam munire, triplici ex capite poteſt probare excluſionem Canonici Hebdomadarii a Matutinis SS. Jo: Baptiſtæ, & Apoſtolorum, per traditionem, per teſtes, per viſum; traditiones, & teſtes, ſi adſint, exhibeat, quibus reſpondebo, licet pro me affatim reſpondeat Liber D. Benevolentii *p.* 1. *p.* 372. *&* *p.* 2. *p.* 19. 145. *n.* *n.* 3. *&* 4. quibus locis probatur uſus Hebdomadarii in Matutinis præcitatis. Per viſum ſanè aſſerere nihil poteſt, cum ante Archiepiſcopum Marſilium, vix per ætatem ſciret, an Metropolitana eſſet Eccleſia, & in regimine tanti Antiſtitis cum accuratiſſimè in ſtatu Clericali fuerit famulatus peculiari Eccleſiæ, noſtra erat ei peregrina; Sacerdos effectus, non vidit tempore Præſulis Marſilii, an in Matutino S. Jo: Baptiſtæ occurrente infra octavam Corporis Chriſti munus Hebdomadarii obiretur a Canonico, an a Cappellano, ineunte enim anno 1710. ſupremum tempus fuit, quo celebrata fuit Nativitas S. Jo: Baptiſtæ infra octavam

Cor-

Corporis Chriſti tempore Archiepiſcopi Marſilii, & eo Anno die 14. Junii in Sabbato quatuor temporum Pentecoſtes fuit noſter Præfectus rituum promotus ad Presbyteratum, quo facto, dies plures apud me fuit in Eccleſia S. Mauritii pro inſtructione Miſſæ, cæteras verò, ut ad Aram faceret., deſtinavit, ideo 23. d. menſis non vidit, quis in Metropolitana præſtaret munus Hebdomadarii in Matutino S. Joannis; evoluto verò Anno 1710. non eſt meum inveſtigare, quis fuerit perfunctus onere Hebdomadarii in controverſo Matutino ſequentibus annis, videlicet 1715. 1726. 1734. 1737. 1745. Sed ad noſtrum Rectorem rituum ſpectat, merito ad id officium promotum 19. Maii 1713. ſi ipſe munere ſuo fungens dedit operam, ut Hebdomadarii vices adimpleret Canonicus, bene quidem ipſe, ſin minus, male; nam recedere ab uſu, eſt contra uſum, & conſuetudinem facere, ideoque etiam contra Legem, cum uſus rationabilis, & immemorabilis, ut eſt præſens, habeat vim Legis, ut alibi dicetur, ab eo declinare nullus ſine culpa poteſt; Hinc enim naſcitur abuſus, de quo videbimus. Si verò inſiſtens in ſui defenſione ipſe adderet, quod minimè reor, ſuper inductam jam eſſe ex actibus ſupradictis conſuetudinem, perperam ille quidem, ficulneo quippe nititur argumento, nec poteſt ulla in re ſententiam ſuam communire, quia nullo tibicine fultam; eſſet enim improba conſuetudo, quia ſine ratione, ideo non inducenda *sit Ceccop. lib.* 1. *n.* 201. idcirco abolendam jure eſſe contendo, falſamque pariter eſſe tam pii, tam laudabilis facti diminutionem a Magiſtro Cæremoniarum præſcriptam. Ecce jam tertia occurret ratio diſcutienda, ſcilicet. *Quum Anno* 1745. *in pervigilio, & Feſto S. Jo: Baptiſtæ cecideris munus Hebdomadarii in Perſonam Reverendiſſimi D. Decani primæ Dignitatis, exercente Eo ad Matutinum S. Jo: Baptiſtæ officium Hebdomadarii, oportuiſſet, ut in tertio Nocturno legerentur*

*rentur duæ primæ lectiones non a duobus Canonicis, ad quos ſe-
cundum ordinem incœptum ſpectabat legere, ſed a duabus primis
Dignitatibus in Choro exiſtentibus, unde fuiſſet interruptus
incœptus ordo.*

Reſp. Binas difficultates ſupra expreſſas eſſe futiles, nul-
liuſque virtutis; & ut mei aſſerti veritas eluceſcat, expe-
dit, ut omnibus innoteſcant noſtræ Eccleſiæ conſuetudines;
nec quiſquam hanc miretur a propoſita quæſtione digreſ-
ſionem, ad quam neceſſitate potius, quàm voluntate tri-
plici ex capite devenio. *Primò* -- ut clarè illuceſcat, quòd
exercente ad Matutinum S. Jo: Baptiſtæ in noſtro caſu He-
bdomadarii officium prima Dignitate, erat iſta conſideranda
ut Hebdomadaria, & non ut prima Dignitas. *Secundò* -- ut
publicè conſtet uſus noſtræ Eccleſiæ, prout laudabiles, &
immemorabiles, eſſe pro viribus retinendos. *Tertiò* -- ad de-
pellendam a me criminationem, mentitum me ſcilicet fuiſſe,
quoties data occaſione dixi hanc, vel illam functionem ſpecta-
re ad primâ Dignitatem, eam, vel aliam ad Hebdomadarium.

Sed ut recto ordine procedatur, non inutile puto in-
fraſcripta præmittere, præcipuè verò quid ſit uſus, quæque
ejus virtus oſtendere.

Præmitto ergo primò, uſum eſſe jus non ſcriptum, quod
longo, & continuo uſu naſcitur, qui quando immemora- 9.
bilis eſt, habet vim legis, & ideo ut a lege abrogetur,
non ſufficit, quod Lex abrogans uſum dicat *non obſtante
conſuetudine*, ſed requiritur, ut dicat, *non obſtante contraria,
etiam immemorabili conſuetudine*, *Bonac. diſp. 1. q. 2. p. ult. n.* 10.
43. quia cum non conſtet de initio talis conſuetudinis, &
aliàs fieri poſſit, ut talis uſus ex privilegio traxerit originem,
par non eſt, ut per generale nomen conſuetudinis reprobe-
tur; & ſicuti in generali conceſſione non veniunt ea, quæ
quis non eſſet conceſſurus, ita neque in generali revocatio-
ne conſuetudinis, venire videtur immemorabilis conſuetudo,

quę

quæ peculiaribus privilegiis in jure gaudet. *Idem Bonac.*

11. Ad hoc autem ut aliqua conſuetudo præcipue verò in materia præcedentiæ, ut eſt præſens quæſtio, in omnium ſententia ſit immemorabilis, & habeat vim Legis, ſufficit, quod ſit centenaria, quia in tali caſu facit Legem, ideoque eſt attendenda, & pro viribus retinenda, & eo magis ſi ſi ſit laudabilis, & rationabilis, ſcilicet a Lege non proſcripta, nec prohibita; contra verò ſi non ſit centenaria non habet vim Legis, quia incluſio unius, nempe centenariæ, eſt excluſio alterius, nempe, non centenariæ; quũ ergo tota Lex in præſenti materia contineatur in Pontificiis conſtitutionibus, in Cæremoniali, & in Decretis S. Congregationis, videre oportet, an ab illis abrogentur conſuetudines rationabiles, laudabiles, & immemorabiles ad noſtram materiam ſpectantes.

Præmitto 2. tres Bullas vim Legis univerſalis habentes, & Cæremoniali annexas vidi, Clement. VII. *Cum noviſſimè*: Innocentii X. *Et ſi alias*: Benedicti XIII. *Licet alias*; in quibus quum non legantur illa verba; *non obſtante contraria etiam immemorabili conſuetudine*, neceſſaria, ut jam ſupra expoſui *n.* 10. ad hoc, ut per eas abrogentur uſus, & conſuetudines immemorabiles, per iſtas hujuſmodi uſibus non derogatur, atque hi Pontifices, quando ediderunt ſuam præciſam conſtitutionem, jam viderant Cæremoniale, nec
12. ab eo expunxerunt verba permittentia, & approbantia particulares uſus, etiam ſpectantes ad Perſonam hebdomadarii, *ut in lib.* 1. *cap.* 5. 12. 28. *& in lib.* 2. *cap.* 1. 2. 5. *6.* 7. 8. 10. 14. 15. *16.* 17. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 28. 30. 32. 33. atque ideo illis non derogarunt. Inſuper *in Lib* 2. *Cærem. Cap. 6.*, ubi agitur de Matutino ſolemni, ante Bened. XIII. habebantur hæc tantum verba, quod circa finem tertii Nocturni: *Canonicus Hebdomadarius accipiat Pluviale, & duo Cantores ſimiliter*. Idem Pontifex mandavit

recu-

recudi Cæremoniale, & per ſuam ſupradictam conſtitutio-
nem adamuſſim vult illud ſervari, his non obſtantibus, ad-
didit citato Capitulo hæc verba -- *vel plures, ſi ſit conſuetudo,* 13
ergo quotieſcumque diverſa adeſt conſuetudo, Pontifex
nihil de ea immutandum eſſe conſtituit.

Inſtabis adeſſe alias tres conſtitutiones, unam ſci-
licet Innocent. XIII. quæ incipit *Apoſtolici miniſterii
die* 13. *Maii* 1723. & duas Benedicti XIII. quarum
prima incipit *In ſupremo die* 23. *Septembris* 1724. Secunda
Cum inviſibilia edita in Concil. Lateranen. Romano Pro-
vinciali *Anno* 1725. præſcribentes Epiſcopis tollere abuſus,
& ea quæ Cæremoniali adverſantur; *quavis non obſtante
interpoſita appellatione, vel immemorabili allegata conſuetudine;*
ergo illi Pontifices per ſuas has conſtitutiones de medio
abſtulerunt conſuetudines etiam immemorabiles.

Reſp. primò, allatas conſtitutiones non habere vim Legis
univerſalis, eo quia primæ duæ emanarint pro ſolis Hiſpa-
nis illos tantum ligantes, ut eas legentibus patebit; Tertia
utpote edita in Concilio Provinciali Romano Lateranen.
cujus decreta, licet ſummè veneranda, quum non excedant
limites illius Provinciæ, non ligant Eccleſias extra eam de-
gentes; ergo dictæ conſtitutiones non adſtringunt Eccleſias
conſtitutas extra illas regiones, & potiſſima ratio eſt, quia
quælibet lex ligat eos tantum, ad quos eſt directa, juxta il-
lud Apoſtoli *ſcimus autem quoniam quæcumque Lex loquitur,* 14
iis qui in Lege ſunt, loquitur [a]

Reſp. ſecundò, per præfatas tres conſtitutiones aboleri
abuſus, & conſuetudines immemorabiles, ſcilicet uſus il-
los, & conſuetudines Cæremoniali adverſantes, ut in illis
clarè conſtat, ſed quum uſus, & conſuetudines reſpicien-
tes Perſonam Hebdomadarii, præeminentias, præcedentias,
&

(a) Rom. Cap. 3.

Digitized by Google

& ſimilia, de quorum numero eſt præſens quæſtio, non adverſentur Cæremoniali, eo quod ab eo in enunciatis ca-
15. pitibus n. 12., & mediis verbis additis a Bened. XIII. *Cap. 6. lib.* 2. ut jam dixi n. 13. ſint permiſſæ, & approbatæ, allatæ ergo tres poſteriores conſtitutiones hujuſmodi conſuetudinibus, & præſenti quæſtioni nihil officiunt, dum, deducere ad praxim uſus, & conſuetudines à Cæremoniali permiſſas, & approbatas, idem ſit, ac illud ſervare.

Præmitto 3. Neque Cæremoniale tollere uſus immemorabiles, eo quod in ſupra citatis capitibus in multis ſtandum
16. dicat Eccleſiarum conſuetudini, præcipue verò ubi agitur de perſona Hebdomadarii, quam liquidò remittit conſuetudini, ut omnibus videre licet, & totum confirmatur a S. R. C. quæ *die* 11. *Junii* 1603. declaravit, Cæremoniale non tollere laudabiles, & immemorabiles conſuetudines; cumque hoc decretum emiſſum fuerit Hiſpanis tantum inſtantibus, ideo ad tollendas difficultates, num omnes adſtringeret, *die* 17. *Junii* 1606. declaravit ejuſmodi decretum habere locum in omnibus Regnis, & Locis Chriſtianitatis, *Merat. in d. Decret. n.* 39., & 50. & die 16. *Julii* 1601. *apud. Pitt. n.* 348. declaravit teneri Epiſcopos omnino ſervandum curare Cæremoniale, niſi adſit laudabilis, & immemorabilis conſuetudo in contrarium, quumque materia ſupradictorum Decretorum reſpiciat totam Eccleſiam, ea omnes Cathedrales ligant; inexpugnabile ergo, atque inviolabile eſt a Cæremoniali non tolli uſus immemorabiles.

17. Præmitto 4. Decreta pariter S. R. C. non abrogare uſus immemorabiles, quum inſtituta ſit Congregatio a Sixto V. non in deſtructionem Legis exiſtentis in dd. conſtitutionibus, & in Cæremoniali, ſed in corroborationem; Si enim illius decreta tollerent uſus immemorabiles, decerneret contra Legem, quod eſſet abſurdum, quum ſit idem, ac illam deſtruere. Pro clariori intelligentia, Decreta S. R. C.

ſunt

ſunt triplicis generis. Alia ſunt emanata ab eadem Congrega- 18.
tione, ſine ulla peculiari, aut generali inſtantia, ſed ex mero motu Congregationis, quod agnoſcit talis Decreti neceſſitatem, & in hoc caſu communiter materia hujuſmodi Decretorum cum ſoleat reſpicere univerſum Clerum, omnes Eccleſias adſtringit. Alia Decreta ad præcipuarum perſona- 19.
rum inſtantias, & petitiones emanata (licèt ea ſint ad normam, & exemplum pro iiſdem, aliiſq; id genus cauſis) Eccleſiæ tamen univerſali deſerviunt, niſi peculiaris adſit ratio, vel inſpecta ſit circumſtantia, quæ decreta penitus peculiaria efficiat, nec ultra perſonas, vel Eccleſias pro quibus emanarunt, protendi ea ſinat. *Ita Pater Joannes Michael Cavalierus Bergomas in ſuis commentariis in authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta Tom.* 1. *par.* 1. *p.* 501. Exemplo eſſe poteſt, quod non celebrentur Miſſæ Defunctorum infra octavam Nat. Epiph. &c. quod feſta B. M. in æquali ritu ſint præferenda feſtis SS. quod, occurrente Nat. S. Jo: Baptiſtæ in die Corporis Chriſti, reſumatur in ſequentem proximum diem, licet impeditum, cæteriſque aliis id genus multis, quæ quum totam Eccleſiam reſpiciant, totam ligant. Decreta autem ad inſtantiam præcipuarum Eccleſiarum 20.
emanata, in quibus ſingularis adeſt, vel inſpicitur aliqua ratio, quæ eadem penitus pecularia efficiat, non reſpiciunt totam Eccleſiam, in illis enim agitur de uſibus præcipuis, de dignitate præcedente, & præeminente, & hujuſmodi, ligant tantùm illas Eccleſias, pro quibus ipſis inſtantibus fuerunt emanata, quia S. R. C. in hujuſmodi Decretis inſtituendis *ait Ceccop lib.* 1. *n.* 172. ponderat potius uſum, quàm jus; 21.
ut quotidiana experientia docet, & ex innumeris Decretis apparet, præſertim verò ex Decreto pro noſtro Capitulo emanato infra citando *n.* 34., & probatur ſequentibus Decretis, *apud Pitton. n.* 334. *S. R. C.* 1. *Septemb.* 1607. quibus decrevit in una Bracarenſi non deberi Epiſcopo ſuffraga-

neo exercenti functiones nomine propii Epiſcopi, aſſiſtentiā duorum Canonicorum, ultra Diaconum, & Subdiaconum, ut præſcribitur a Cæremoniali *Cap.* 8. *lib.* 1. Et in una Tarraconenſi 7. *Julii* 1612. in æquali materia, decrevit contra præſcriptum Cæremonialis aſſiſtentiam duorum Canonicorum, ut ſupra dandam eſſe; Quare igitur S. R. C. in eadem materia dedit diſſimile reſponſum? quia in Bracarenſi Eccleſia erat uſus non præſtandi alieno Epiſcopo præfatam aſſiſtentiam; In Eccleſia autem Tarraconenſi erat uſus illam præſtandi, ideo virtute illius conſuetudinis, licèt contra præſcriptum
22. Cæremonialis, cenſuit eſſe præſtandam; ergo S. C. in conſtituendis Decretis ſpectantibus ad peculiarem Eccleſiam, ponderat uſum, non jus, ergo non tollit conſuetudines; Si Apoſtolicę autem conſtitutiones, Cæremoniale, & Decreta S. C. non abrogant uſus, miror cur noſter Cæremoniarum Rector, cæteroqui ſapientiſſimus, ſe opponat uſibus noſtratibus vi deciſionum Romanæ Rotæ apud Pignattellum, Monacellum, Fagnanum, & alios plurimos: Sunt quidem illæ deciſiones apprimè venerandæ, ſed ſcire illum puto non habere vim Legis ſaltem univerſalis, ideoque non poſſe abrogare conſuetudines noſtras, quas videtur mihi exprimere in ſequentibus notandis, earumq; robur in trutina ponere.
23. Notandum ergo 1. eum eſſe uſum noſtri Capituli, ut abſente Archiepiſcopo, qui peragit munus Hebdomadarii in Miſſis, & Veſperis ſolemnibus, idem ille officium præſtet in functionibus præcedentibus, aut ſubſequentibus, v. g. qui celebrat Miſſas in diebus Purificationis, feriæ 4. cinerum, feriæ 6. ſubſequentis, Dominicæ Palmarum, Sabbati Sancti, pervigilii Pentecoſtes, & primas Veſperas Circumciſionis, benedicit, & diſtribuit Candelas, & Cineres, adimplet actionem 40. horarum, Palmas ſanctificat, Benedictionem fontis peragit, & ſuper Populum implorat Cœleſtem rorem cum SS. Sacramento, & hæc conſuetudo eſt
con-

conſona Cæremoniali, ubi *Lib.* 2. *cap.* 17. habetur, quod peracta ſupplicatione Candelarum, Celebrans, ſcilicet, qui fecit benedictionem, depoſito Pluviali, accipiat Planetam pro Miſſa, atque ideo ea conſuetudo ſervanda, quia rationabilis, & immemorabilis.

Notandum 2. talem adeſſe uſum, ut nullus Capitularis inſerviat primæ Dignitati, nec cæteris de Capitulo, 24.
quum omnibus Capitularibus in Sacris actionibus, inſerviant Beneficiati, non obſtante Lege Cæremonialis præſcribente *Lib.* 2. *Cap.* 17. Dignitati, aut Canonico Hebdomadario inſervire Canonicos, quum loquatur de Capitulis ubi Præbendæ ſunt diſtinctæ, ut declaravit *S. R. C.* 3. *Sept.* 1605. *apud Ceccop Lib.* 3. *n.* 98. & ut clarè deducitur ex. d. cap. Cæremonialis, dicendo, quod diſtributa Candela digniori de Choro, Celebrans deinde diſtribuat Diacono, & Subdiacono, *ſi ſint Canonici*, ergo miniſtrantes Canonico Hebdomedario, vel Dignitati poſſunt eſſe non Canonici, & id conſtat *ex Cap.* 18. ubi adveniente Epiſcopo in feria 4. Cinerum, dicit, quod Canonicus celebrans caput inclinet, Miniſtri vero genuflectant, *ſi non ſint Canonici*, quando ſcilicet Præbendæ non ſunt diſtinctæ, Canonici quando ſunt diſtinctæ *Ceccop. ut ſupra*; ego autem animadverto, quod ex illis verbis, *ſi ſint Canonici* & ex aliis, *ſi non ſint Canonici*, ſe referat ad conſuetudinem.

Notandum 3. Primam Dignitatem tamquam unum de Capitulo teneri ad onus Hebdomadarii in præſcripta ſibi Hebdomada, prout tenentur alii Capitulares, & hæc noſtra conſuetudo convalidatur *a S. R. C.* 9. *Decemb. Anno* 1625. *apud Pitt. p.* 177. declarante, Dignitates ſubire onera aliorum Canonicorum, quumque prima Dignitas exercendo munus Hebdomadarii cauſa ſuæ hebdomadæ, peragat officium omnibus Canonicis commune, habenda eſt, prout habentur omnes alii Canonici Hebdomadarii; his certis præmiſſis 25.

Be-

Benignitatem legentium imploro, ut ſemper in mente, & præoculis præſeferant quantum ponderis habeant omnes conſuetudines expreſſæ in tribus præcedentibus notandis, quum inde pendeat ſolutio omnium quæſtionum in præſenti materia occurrentium.

Hinc jure, meritoque inveſtigare oportet, utrum ne functiones, quas Archiepiſcopus, ſi præſens eſſet, & per ſe ipſum exerceret, quæque ad ipſum ſpectarent, eo abſente, vel impedito, ſi incidant extra hebdomadam primę Dignitatis, ad eam ſpectent, an verò ad hebdomadarium?

26. Ut reſponſio ad quęſitum clarè illuceſcat, ſciendum eſt de jure fere communi, niſi obſtet laudabilis, & immemorabilis conſuetudo contraria, ſpectare ad primam dignitatem functiones *merè* Epiſcopales; dixi *merè*, quia ad primam Dignitatem ſpectant functiones, non quas Epiſcopus celebrare poteſt, cum poſſit ſuo arbitrio *ut in Cærem. lib. 2. cap. 34.* multa feſta ſolemnizare; Sed illa, quæ ad Epiſcopum ſpectant, ut innuit *S. R. C. in ſuo Decreto* pro noſtra Eccleſia *ut n.* 34. pro quorum intelligentia.

27. Triplici modo prçſcribit Epiſcopis Cęremoniale in d. Capite celebrare feſta; Cum Cappa aſſiſtentibus Canonicis in habitu Canonicali; cum Pluviali aſſiſtentibus pariter Canonicis eadem veſte, quod nuncupatur *Pontificale non plenum*; & Pontificaliter cum Sacris veſtibus, aſſiſtentibus Canonicis ſimiliter ſacra veſte indutis, quod dicitur *Pontificale plenum*: eſt autem extra dubitationis aleam, feſta exercenda ab Epiſcopis primo, & ſecundo modo, non ſpectare ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum Hebdomadarium, quę quum ſint per ſe ſatis nota, non indigent probatione; *Cap. Evidentia de prob. Gloſſ. in cap. Ad noſtram de jurejuran.* Quęſtio ergo ad hoc reducitur num feſta permiſſa Epiſcopis a Cęremoniali celebrare *pleno Pontificali* ſcilicèt cum Miniſtris Sacris veſtibus indutis, expreſſa in

ejus

ejus 2. *Lib. in Capitibus* 1. 3. 11. 15. 17. 19. 21. 26. 28. 30. 32. 33. 34. *& aliis* quę brevitatis gratia omitto, omnia, vel aliqua ſpectent ad primam Dignitatem, Epiſcopo abſente, vel impedito.

Reſp. Quum Cęremoniale, ut *n.* 16. dixi non tollat conſuetudines, & in dd. Capitibus, in quibus agitur de Perſona Hebdomadarii, non reſtringat tale munus ad primam Dignitatem, omnibus aliis excluſis, ſed faciat mentionem de Hebdomadario, de Canonico, de Dignori de choro, de Perſona Pręlatitia, de prima Dignitate, ac de eo, ad quem ex more competit, quiſque fateatur oportet abſente, vel impedito Epiſcopo, Cęremoniale non excludere uſum reſpicientem perſonam Hebdomadarii, quod confirmatur *in Cap.* 30. *libri* 2. ubi in die S. Paſchę nuncupato ab Eccleſia in Martyrologio (*Solemnitas Solemnitatum*) committitur officium Hebdomadarii etiam ei, ad quem de conſuetudine ſpectat, quis ergo negare audebit non ſpectare onus Hebdomadarii ad eum, cui de uſu competit in aliis ſolemnitatibus, tam excellenti elogio non gaudentibus? ergo præſens quæſtio pendet a conſuetudine. Cum res planè ita ſe habeat. 28.

Dico, de vera, legitima, & maximè immemorabili conſuetudine Eccleſię noſtrę, abſente, vel impedito Archiepiſcopo, omnes, & ſingulas functiones ſolemnes, cujuſlibet ritus, & ſolemnitatis, ſpectare ad Hebdomadarium, & nullam ad primam Dignitatem; cujus conſuetudinis, cum non reperiatur initium, fueritque illa ſervata per plura ſecula, non dum etiam Cęremoniali impreſſo &, ſit rationabilis, ſcilicèt a Lege, nec a S.Cong. improbata, imò corroborata, ut videbitur *n.* 34. ac reſpiciat materiá gradus pręſidentis, & præcedentis, de Perſona ſcilicet Hebdomadarii a Cęremoniali conſuetudini remiſſa, & talia requiſita habeant vim corroborandi, & conſtituendi uſus, & conſuetudines immu- 29.

munes ab omni exceptione, & abrogatione, ut *n.* 9. 10.
11. 12. probatum fuit, per ſe, eſt pro viribus ſervanda,
& manutenenda; exemplum dante Illuſtriſſimo, ac Reve-
rendiſſimo Metropolitanę Florentinę Capitulo, quod jactis
pręmiſſis fundamentis, uſum de exercitio omnium functio-
num Epiſcopalium, & ſolemnium per Canonicum Hebdo-
madarium, illeſum in hodiernum uſque diem, ſervavit ex-
cluſa ab omnibus prima Dignitate, potenti authoritate plu-
ries reclamante ut per Epiſtolam mihi traditam die 29. ela-
pſi menſis Martii enunciatum fuit per hęc verba *L' antica
pratica di queſta Chieſa è, che faccia ſempre tutte le funzio-
ni Epiſcopali [abſente, vel impedito Arcbiepiſcopo], l' Edomma-
dario*; Et in hoc ſupradicto noſtro antiquo uſu dd. validiſ-
ſimis fundamentis vallato, innititur mea aſſertio; ac in tan-
tum dixi de vera, legitima, & immemorabili conſuetu-
dine, quia pręter uſum hìc enunciatum nulla unquam
oblivione delendum, & in noſtra Metropolitana illeſum
30. ſervatũ uſque ad annum 1671. alios duos vidi uſus, quorum
alter ortum habuit Anno 1671., alter verò 1743. non tamen
abſre erit eorum vim perpendere incipiendo ab antiquo.

Exiſtunt in Tabulario Metropolitanę ad minus 180.
31. libri quorum primus eſt de Anno 1406., noviſſimus de
Anno 1745. continentes ſervitium pręſtitum in quolibet
Anno a DD. Capitularibus, & per hoc verbum *Cantò*, oſ-
tendunt Perſonam Hebdomadarii Canonicalis in functio-
nibus, quę de mane una cum Miſſa ſolemni fiunt in noſtra
Eccleſia, ac in annis illius viduitatis, & abſentię noſtro-
rum Pręſulum, apparet, omnes, & ſingulas functiones;
etiam ſolemniſſimas, peractas fuiſſe ab Hebdomadario; atque
32. hic uſus, quo numquam omnino Capitulum ſe abdicavit, ut
deducitur ex deliberatis ab eo 14. Auguſti 1670. 30. Martii
1671. 2. Aprilis 1746. ut n. 33. 36. 58. quum per longam
ſeriem ſeculorum ad ſolidum annum 1670. ſit deductus,
per

per ſe eſt manutenendus ex rationibus allatis *n.* 29. Non eo tamen inficias, me jam inde ab Anno 1406. uſque ad 1671. vidiſſe, admodum raro prȩſtitum fuiſſe munus Hebdomadarii a prima, vel ab alia Dignitate in aliqua ex quatuor ſolemnioribus ſolemnitatibus; Sed attenta ejus ſumma raritate, confiteri oportet hoc fuiſſe per accidens, ſcilicet, vel quod illa Dignitas Hebdomadarii officium per ſuam vicem obiret, vel etiam quod alterius vicem ſibi commiſſam, ut fieri ſolet, perageret.

Dixi, oſtendunt Perſonam Hebdomadarii in functionibus, quæ de mane fiunt una cum Miſſa ſolemni, quia Perſona Hebdomadarii ad Veſperas in dictis libris non deſcribitur; at cum functiones de mane utpote ſolemniores, & majoris ponderis, quàm ſint illȩ peragendȩ in Veſperis, appareant peractȩ ab Hebdomadario, quin dubitandum, utrum ab eo & in Veſperis fuerint peractȩ? quæ omnia ſubſequentibus factis corroborantur.

Dixi uſque ad Annum 1671. propterea quod expoſitam conſuetudinem de exercitio omnium functionum per Canonicum Hebdomadarium, excluſa ab omnibus prima Dignitate, ȩgre ferens Reverendiſſimus D. Horatius Piccolomineus Aragona Decanus per D. Primicerium humaniſſime expoſuit Capitulo, ad ſeipſum ſpectare functiones Epiſcopales; ideo DD. Canonicis de more in unum congregatis *die* 14. *Auguſti Anni* 1670., *ut in lib.* 7. *Delib. Cap. p.* 207. D. Primicerius protulit in medium rationes in utramque partem, tam Hebdomadarii ſcilicet, tam primȩ Dignitatis, & conſideratis conſiderandis, bini Deputati electi fuere; timenteſque DD. Canonici, ne Archiepiſcopus delegaret functiones ad ſe ſpectantes primȩ Dignitati, quamvis ſibi id vetitum eſſet *a S. C.* 9. *Decemb.* 1617. *apud Pitt. n.* 505. 33.
Sancivit Capitulum, ut, uſque ad deciſionem cauſȩ Hebdomadarius juxta ſuā conſuetudinem omnes perageret functiones

nes

nes, abſente, vel impedito Archiepiſcopo, quod de facto fuit in praxim deductum ſequenti die Aſſumptionis B. M. V., in quo præſentibus prima, & aliis Dignitatibus, celebravit ſolemnem Miſſam Hebdomadarius D. Canonicus Jo: Franciſcus Ugurgieri, ut in libro illius Anni conſtat; Si ergo in tali die in Eccleſia noſtrate ſolemniore omnibus ſolemnitatibus celebrabat Hebdomadarius, eo magis in omnibus aliis Feſtivitatibus; poſt hæc appellatum fuit ad Sacram Congregationem; a qua prodiit ſequens Decretum, exiſtens in Curia ſub n. 94.

34. *Sacra Rituum Congregatio ad tollendas diſſentiones, & pro quiete, & bono pacis Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Senarum inhærendo Decretis alias, in ſimilibus factis, iterum declaravit, Miſſas ſolemnes, Proceſſiones, Officia Divina, & alias ſimiles functiones, quas faceret Archiepiſcopus dictæ Civitatis, ſi præſens eſſet, & ad ipſum pertinerent, Archiepiſcopo prædicto abſente, vel impedito, non ad Canonicum Hebdomadarium dictæ Cathedralis, ſed ad Dignitates, & Canonicos ejuſdem pertinere ſucceſſive, & non alternatim; ideſt ſi Archiepiſcopus impeditus, vel præſens non erit, prima Dignitas celebret, vel officium faciat, quod ad Archiepiſcopum præſentem pertineret, & ea impedita vel abſente, ſuccedat ſecunda Dignitas, & ſecunda impedita, tertia, & omnibus Dignitatibus impeditis, & abſentibus, primus Canonicus id exequatur, & ſic per ordinem ſucceſſivè faciendum eſſe declaravit, & ita in Eccleſia prædicta ſervari mandavit, donec dictus Hebdomadarius legitimè probaverit præſenſam, & ab ipſo allegatam in contrarium conſuetudinem. Hac die 29. Novemb. 1670.*

M. EPIS. PORTUEN. CARDINALIS GINETTUS.

Bernard. Caſal. Secr.

Decreto evulgato die 20. ſubſequentis Januarii 1670. ab Inc. ut in citato libro *pag.* 215. D. Franciſcus Gori, unus

unus ex duobus Deputatis exhibuit DD. Canonicis ritè in unum congregatis ſequentem Epiſtolam Archiepiſcopi Aſcanii Piccolominei.

Reverendiſſimi miei Signori Oſſervandiſſimi.

IO, che anche ex officio devo premere nella quiete, e pace, 35.
quale deſidero ſommamente nel Signore, che ſia tra le Signorie VV. Sentendo le differenze, che vertono tra l' Ebdomadario, e il Sig. Decano, circa le funzioni, che devono farſi in mia vece in queſta Chieſa, ed eſſendomi molto ben noto il punto della conſuetudine, che adducono a favore dell' Ebdomadario, quale ſtimo molto forte, e valido oſtacolo alle ragioni, con cui aſſiſte l' jus commune al Sig. Decano; ho riſoluto interporre appreſſo le Signorie Loro le mie preci, acciò troncando ogni lite, che per ogni capo potrebbe riuſcire tanto pregiudiciale alla ſcambievole carità, che deve regnare in un Capitolo tanto Religioſo; ſi compiacciano concedere in grazia mia, e all' affetto, e cordialità, con cui ho ſempre riguardato Lor Signori, l' eſercizio di quelle funzioni, che dovrei fare io non impedito. L' eſperienza, che ho ſempre avuta della lor ottima corriſpondenza, mi fà fermamente ſperare di potere ottenere dalla Lor generoſità queſta grazia, e Dio noſtro Signore lor conceda ogni vera contentezza.

Delle VV. SS. Reverendiſſime

Di Palazzo 18. *Gennajo* 1671.

Devotiſs. Servitore
A. ARCIVESCOVO DI SIENA.

Auditis prædictis, vivæ vocis oraculo commiſſa fuit cauſa
Archiepiſcopo juxta ejus deſiderium; ſed paulo poſt, reſi- 36.
gnato Archiepiſcopatu, *ut in d. Libro Delib Capituli pag.* 217. & electo Eminentiſs. Cœlio Piccolomineo, *die* 30. *Martii* 1671. coacto Capitulo inſtante D. Præpoſito decre-

E tum

tum fuit confirmare gratiam factam in obſequium Archiepiſcopi D. Decano exercendi functiones, abſente Archie-
37. piſcopo, ſaltem uſque ad adventum futuri Eminentiſſimi D. Archiepiſcopi. Hinc ſtrata eſt via ad ſecundum uſum expreſſum. *n* 43.

38. Ex allato Decreto per illa verba, *& ad ipſum pertinent* colligitur, quod, ut aliqua functio ſpectet ad primam Dignitatem, non ſufficit, ut ab Archiepiſcopo exerceatur, ſed requiritur inſuper, ut ad ipſum ſpectet; Et ex illis, *in Ec-*
39. *cleſia prædicta ſervari mandavit*, innuit S. C. per hoc, & ſimilia Decreta, non adſtringere omnes Eccleſias, ſed tantùm illas, ad quarum inſtantiam emanant; Tandem ex ſubſequen-
40. tibus, *donec dictus Hebdomadarius legitimè probaverit prætenſam, & ab ipſo allegatam in contrarium conſuetudinem*, clarè conſtat declarationem Sacræ Congregationis, in favorem primę noſtrę Dignitatis, fuiſſe ad tempus, & cum conditione, ſcilicèt uſque ad validam allatæ conſuetudinis probationem, ideo, ea probata, eſſe nullius roboris Decretum in ordine ad primam Dignitatem. Inſuper deducitur noſtratem uſum exercendi omnes functiones, etiam Epiſcopales, Ar-
41. chiepiſcopo abſente, vel impedito, per Hebdomadarium excluſa prima Dignitate non fuiſſe improbatum, imo corroboratum, juxtà illud; *exceptio firmat regulam in contrarium*; Denique quod conſuetudo pro Hebdomadario ſatis probata fuerit, oſtendunt illa verba Epiſtolæ Archiepiſcopi Piccolominei ſuperius allatæ, *eſſendomi molto ben noto il punto della conſuetudine, che adducono a favore dell' Ebdoma-*
42. *dario, quale ſtimo molto forte, e valido oſtacolo alle ragioni, con cui aſſiſte l' jus commune al Sig. Decano*. Præterquamquod, niſi conſuetudo per Hebdomadarium ſatis probata eſſet, cur preces adhibuit Archiepiſcopus in favorem primæ Dignitatis? Conſuetudine ſcilicet non probata, jam prima Dignitas pro ſe habebat Sacræ Congregationis ſententiam.

In-

Inſtabis, cognitam non fuiſſe allegatam conſuetudinem Hebdomadario favorabilem Sacræ Congregationi.

Dico, hoc non fuiſſe neceſſarium, imò ſuperfluū, quum clarè S. C. locuta fuerit, & liquidò in Decreto conſtaret quid in poſterum eſſet faciendum, & quum ad Ordinarium ſpectet executioni mandare decreta S. C. coram ipſo ſatis erat probare allegatam contrariam conſuetudinem, eamque apud ipſum probatam fuiſſe, ex ejus Epiſtola deducitur, ut dixi, *n.* 42.

Prudentiſſimus autem Archiepiſcopus agnoſcens vi conſuetudinis a S. C. firmatæ, excludi primam Dignitatem ab omnibus functionibus, petivit ex gratia id, quod D. Decanus de jure poſtulare non poterat, & conceſſum ei tantummodò fuit, eodem Archiepiſcopo gubernante; quod ſi ita non eſſet, fuiſſet ſuperflua confirmatio, quæ pariter non videtur in perpetuum, ſed in adventum uſque novi Archiepiſcopi, *n.* 37. Quod quum ita ſit, ſupereſt, ut inveſtigemus, quænā fuerint functiones aſſignatæ primæ Dignitati in obſequium Archiepiſcopi, & ex benignitate Capituli, ſed quum hoc nuſquā conſtet, confugiendum eſt ad uſum hucuſque ſervatum.

Ab Anno 1671. uſque ad Annum 1743. ſequentes 43. functiones tantùm, abſente Archiepiſcopo, fuerunt peractæ a prima Dignitate, Benedictiones ſcilicet, & Miſſæ Candelarum, ac Palmarum, Miſſa feriæ 5. in Cœna Domini, Miſſa, & Veſperæ diei Reſurrectionis, Miſſa cum utriſque Veſperis diei Pentecoſtes, Veſperæ feriæ ſecundæ ſubſequentis, Miſſa cum ſupplicatione diei Corporis Chriſti, Veſperæ cum ſupplicatione diei octavæ, Miſſa cum utriſque Veſperis Aſſumptionis, Miſſa tertia, cum utriſque Veſperis Nativitatis D. N. J. C. plerumque Matutinum, & Miſſa noctis (plerumque inquam, cum ipſemet viderim, licet rarò, ea peracta fuiſſe ab Hebdomadario) Miſſa Defunctorum cum quinque abſolutionibus, quæ primo ſci-

ſcilicèt celebratur pro Pontifice, Archiepiſcopo, ac Principe, Communio Viatici ad Archiepiſcopum, Officium, quod de more noſtro fit in Aula Archiepiſcopali, ſuper Cadaver noſtri Antiſtitis. Aliæ verò functiones cujuſlibet ritus, & ſolemnitatis peractæ fuerunt ab Hebdomadario; allatuſque uſus ab Anno 1671. & infrà apparet in libris horarum, & in 2. parte libri D. Benevolentii in ſuis præcipuis Locis, nec id ægre ferendum eſt a primis Dignitatibus Cathedralium, cum redundet in illarum exiſtimationem, & decus, quia, quæ rarò adhibentur, pretioſa reputantur *ait Gavant. p. 4. pag. 18. n. 6.*

44. Dixi uſque ad Annum 1743. jam indè enim ad Annum 1745. vidi in noſtra Eccleſia in libris horarum, initium novi tertii uſus, nempe fuiſſe per D. Decanum, præter tamen ejus culpam, & voluntatem, ſed inſtante, & promovente Magiſtro Cæremoniarum, celebratas Miſſas feriæ 4. Ciner. ſextæ ſubſequentis, feriæ 6. in Paraſceve, Sabbati S. Sabbati in pervigilio Pentecoſtes, & ſicut audivi a multis, primas etiam Veſperas, cum Matutino Corporis Chriſti, & Circumciſionis D. N. J. C. quæ omnia ſemper abſente Archiepiſcopo, fuerunt facta ab Hebdomadario, non ſolum ex permiſſione Eccleſiæ, ſed etiam vi conſuetudinis maxime immemorabilis hujus Metropolitanæ, ſervandæ, & manutenendæ multis de cauſis deſuper adductis, quas repetere ſupervacaneum eſſet; Sed ne quis dubitet de perſeverantia exercitii ſupradictarum functionum per Perſonam Hebdomadarii abſente Archiepiſcopo, etiam poſt Annum 1671. uſque ad 1743., conſulat libros horarum ejus temporis, quo noſtra Eccleſia ſuis fuit viduata Paſtoribus, vel ii abſentes fuerunt, ibi videbit veritatem ſententiæ meæ, & relictis, brevitatis gratia, priſcis temporibus, ſint pro exemplo Anni 1701. 1713. 1714. 1715.

Anno ergo 1701. occurrente feria 4. Cinerum die 9. Fe-

Februarii in ea, & in *6.* ſubſequente peregit quidem Sacras functiones, abſente Archiepiſcopo Marſilio degente illis diebus in Urbe Romæ, D. Decanus primas referens, ſed peregit ut Hebdomadarius, ut apparet in lib. horarum, de aliis Sacris actionibus illius Anni non facio mentionem, quia, ut conſtat in libro, Archiepiſcopus ſemper interfuit.

Anno 1713. in die Cinerum, quæ fuit 1. Martii Archiepiſcopus Marſilius, quum non ſatis benevaleret, interfuit tantùm Concioni, non verò functionibus Eccleſiæ, ac expoſitioni, & depoſitioni Venerabilis Sacramenti in ſubſequenti feria *6.* ratione 40. horarum, ideo omnia acta fuere a D. Archidiacono, ut Hebdomadario, præſente, ac ſpectante prima Dignitate, ut apparet in libro; Hic animadvertendum, diem Cinerum plerumque occurrere in Hebdomadam primæ, vel alterius Dignitatis, propterea quando in dd. libris conſtat functiones eorum dierum fuiſſe peractas per Dominum Decanum, ut in Annis 1701. 1712. dico eas ſemper egiſſe, ut Hebdomadarium, non verò ut primam Dignitatem, quod liquidò apparet in illis. Defuncto eo Anno die 8. Aprilis Archiepiſcopo Marſilio, die 13. feria 5. in Cœna Domini, me præſente, celebravit Miſſam ad normam uſus introducti 1671. prima Dignitas, & hoc dico, quia non apparet in libris horarum Sacerdos celebrans, per calamum D. Sacriſtæ non exaratus; Idem accidit in ſequenti feria *6.* in Paraſceve, in qua vidi celebrare D. Canonicum Ninium, quem liquidò conſtat in libro celebraſſe ſolemniter in ſequenti Sabbato Sancto; quod ſi in hoc Sabbato factum fuit, eòplus in antecedenti feria *6.* minoris ſolemnitatis, & conſequentiæ; In Sabbato pervigilii Pentecoſtes 3. Junii celebravit D. Canonicus Columbinus.

Anno vero 1714. dies Ciner. fuit 14 Februarii in Hebdomada primæ Dignitatis, & cantavit pro ea D. Præpoſitus,

ni

Digitized by Google

in ſubſequenti feria 5. celebravit perſonaliter prima Dignitas, & in immediata feria 6. D. Abbas Petruccius; quod autem hæc eſſet Hebdomada primæ Dignitatis, apparet in libro, in quo ſubſequenti Dominica 18. Februarii fuit Hebdomadarius D. Præpoſitus, & in alia Dominica die 25. D. Archidiaconus, & ſic ſucceſſivè; ideo tam D. Præpoſitus, quàm D. Petruccius, celebraverunt loco primæ Dignitatis, non ut prima Dignitas erat, ſed ut Hebdomadaria; Feria 6. in Paraſceve, & Sab. S. 30., & 31. Martii celebravit D. Canonicus Ninius, & in pervigilio Pentecoſtes 19. Maii D. Canonicus Cerretanus.

Anno 1715. dies Cinerum 6. Martii erat hebdomada D. Primicerii, qui ex defectu viſus nunquam cantabat per ſe ipſum, & celebravit pro Eo D. Præpoſitus, & in fer. 6. ſeq. D. Canonicus Ninius. Hanc autem eſſe hebdomadam D. Primicerii, eſt omnino certum, quia in ſeq. Dominica fuit Hebdomadarius D. Theſaurarius, & in alia D. Canonicus Cinughius primus inter Canonicos, ideo tam D. Præpoſitus, quàm D. Ninius celebraverunt pro D. Primicerio Hebdomadario, nec poteſt dici, quod fecerint loco primæ Dignitatis, quia hæc fuit ſemper præſens, non ſolum Miſſæ Solemni, ſed omnibus horis illam præcedentibus, & etiam Miſſam planam celebravit in Metropolitana, ut in libro Miſſarum *die 6. Martii n.* 28. Feria 6. in Paraſceve, Sabbato S. & in pervigilio Pentecoſtes 19. 20. Aprilis, & 8. Junii dixit ſolemnes Miſſas D. Canonicus Cerretanus, ſic firma, & conſtans ſemper ſententia noſtra eſt, aſſiduo uſu ſpectare ad Hebdomadarium, abſente Archiepiſcopo, celebrare Miſſas citatis diebus, unà cum functionibus præcedentibus, & ſubſequentibus, quamvis in contrarium præſcriberent Decreta S. C., & Cæremoniale, quum ab iis uſus non tollantur, ut probatum fuit *a n.* 16. *ad* 22., & eo magis quum non ſint proſcripti, imò approbati, ut infra.

Cæ-

Cæremoniale lib. 2. cap. 19. tractans de perſona Hebdomadarii in die Cinerum abſente Epiſcopo, remittit omnia ad *Cap.* 17. ubi agitur de Purificatione, & præſcribit, peragi functiones ab Hebdomadario, vel a prima Dignitate, ſeu ab eo cui de conſuetudine competit, & in capitibus 26. *&* 28. tractantibus de peragendis in feria 6. Paraſceve, & Sabbato S. remittit onus Hebdomadarii alicui Prælato, aut Canonico, vel officium facturo; ergo etiam Cæremoniale remittit officium Hebdomadarii pro functionibus illorum dierum uſui Eccleſiarum, eoque magis non eſt excludenda conſuetudo Eccleſiarum in Miſſis feriæ 6. poſt Cineres, & pervigilii Pentecoſtes, quum de iis non fiat mentio in Cæremoniali; Quæ licèt certa ſint, audio tamen vocem D. Præfecti rituum auribus meis obſtrepentem, præfatas duas Miſſas ſpectare ad primam Dignitatem ex præſcripto Eccleſiæ, non per ſe, ſed per accidens, cauſa Orationis 40. horarum, & benedictionis Fontis, quum illæ functiones ab aliquibus Decretis S. C. aſſignentur primæ Dignitati.

Reſp. Talia Decreta, ut jam ſuperius dixi *a n.* 17. *ad* 22. & alibi oſtendam, non afficere univerſas Eccleſias, ſed tantum illas, pro quibus fuere condita. Hoc primò ſciat noſter Rituum Rector, validiſſimum, & inexpugnabile decretum illud tantum eſſe, quod, ne unum quidem extet exemplum in libris horarum pro prima Dignitate; Secundò Cæremoniale, & Pontificale fuiſſe edita ab Eccleſia, & ad Epiſcopos directa, ut Ipſi non ſolùm videant ritus ſervandos in Sacris actionibus, ſed etiam quænam ſint functiones, quas per ſe poſſint, vel debeant exercere; ideo quotieſcumque Epiſcopi peragunt functiones, quæ in illis non ſunt expreſſæ, illas peragunt ex illorum devotione, libito, & arbitratu, non autem per ſe; at quum primæ Dignitates, ubi non viget contraria conſuetudo, ſuccedant, ut proba-

tum

tum fuit, & ex decretis deducitur, in functiones tantum per ſe ad Epiſcopos ſpectantes, ergo in illas, quæ ad Præſules per ſe non pertinent, & in dd. Libris non ſunt expreſsę, ſuccedunt Hebdomadarii, quæ ſi vera non eſſent, ſequeretur hoc abſurdū, quod omnes Sacræ actiones, quas Epiſcopi pro arbitratu ſuo, vel devotione peragunt, ſpectarent ad primam Dignitatem; quum autem in Cæremoniali, & Pontificali non exprimantur Miſſæ feriæ *6.* poſt Cineres, pervigilii Pentecoſtes, nec non v. g. quod quotieſcumque in Cathedrali habeantur oratio 40. horarum, Deo gratiarum actio, cum hymno *Te Deum*, & benedictione SS. ſuper Populum, & hujuſmodi, ut in Senenſi Eccleſia 31. Decembris, & initio Quadrageſimæ, per ſe non ſpectant ad Archiepiſcopum, ideo neque ad primam Dignitatem, ut noſtro Magiſtro Cæremoniarum viſum fuit. At quis tandem is eſt, qui legitimè aſſerat, *Te Deum*, *& SS. Sacramenti benedictionem*, pertinere ad primam Dignitatem.

Non feci ſupra mentionem de 1. Veſperis Circumciſionis, quas conſequitur hymnus *Te Deum*, cum benedictione SS. ex laudabili inſtitutione Antiſtitis Marſilii, & de 1. Veſperis Corporis Chriſti, cum ejus Matutino, cum ſit ſole clarius, ſpectare ad Hebdomadarium, tum vi immobilis noſtratis conſuetudinis, cui, ut alias dixi, non obſtant Pontificiæ conſtitutiones, nec Cæremoniale, nec Decreta S. Congregationis, tum etiam ex præſcripto Eccleſiæ.

Supradictas functiones ſpectare de more Senen. Eccleſiæ ad Hebdomadariū, licet non conſtet in libris horarum, non continentibus Perſonam Hebdomadarii in functionibus Veſpertinis apparet tamen *in 2. p. lib.* D. Benevolentii in ejus præcipuis locis, ut videri poteſt, & ego juratus, poſſum aſſerere abſente Præſule fuiſſe ſemper peractas ab Hebdomadario.

Quod ſpectent ex præſcripto Eccleſiæ ad Hebdomadarium, probatur primo quod ad primas Veſperas Circumciſionis;

Iſte

Iſtæ Veſperæ ex præſcripto Cæremonialis *cap.* 34. *lib.* 2. ſunt celebrandæ ab Epiſcopo, cum aſſiſtentibus in habitu Canonicali, prout ſemper fuere recitatæ ab Archiepiſcopo Marſilio, priuſquàm in hac die ab Ipſo fuiſſet inſtituta publica gratiarum actio; Sed Veſperæ celebrandæ ab Epiſcopo cum citatis aſſiſtentibus, non ſpectant ad primam Dignitatem, ſed ad Hebdomadarium, ut dixi *n.* 27. Ergo &c.

Inſtabit Rector Rituum, eas Veſperas ſpectare ad primam Dignitatem, quia ab Archiepiſcopo celebrantur cum aſſiſtentibus ſacro habitu indutis, pleno ſcilicèt Pontificali. 45.

Reſp. 1. Epiſcopo licere celebrare Veſperas pleno Pontificali arbitrio ſuo in omnibus feſtis in Cæremoniali Epiſcopor. non deſcriptis, ſed, ut aliquod feſtum ſpectet ad primam Dignitatem, non ſufficit, quod celebretur ab Epiſcopo, ſed requiritur, quod ad ipſum pertineat, ut *n.* 26. *&* 34., ſed hæ veſperæ de jure non ſunt celebrandæ ab Epiſcopo pleno Pontificali, quemadmodum requiritur, ut ſpectent ad primam Dignitatem; Ergo ab Hebdomadario ſunt exercendæ.

Reſp. 2. Quod Marſilius, & Zondadarius Archiepiſcopi Pontificaliter induti, in hac die habebant verbum Divinum ad Populum, & memores Conſtitutionis S. Evariſti (*a*) præcipientis Epiſcopum prædicantem cuſtodiri a ſeptem Diaconibus, & Dereti S. C. 19. *Decemb.* 1643. ſtatuentis Epiſcopo prædicanti cum Pluviali, & Mitra aſſiſtere Canonicos, ideo Illi, ut adimplerentur Apoſtolica Conſtitutio, pariter, atque Decretum S. C., ſi non in toto ſaltem in parte, mandaverunt in dd. 1. Veſperis inſervire Miniſtros cum habitu Sacro; utque omnes agnoſcerent, illas Veſperas non eſſe de jure celebrandas *pleno Pontificali*, noluerunt in illis inſerviri a Dignitatibus, ut præſcribitur in plenis Pontifi- 46.

F ca-

(*a*) Brev. Rom. 26. Octob.

calibus, ſed à Canonicis; ergo ſi integrum Pontificale non debetur his Veſperis, nec illæ ſpectant ad primam Dignitatem.

Inſtabit inſuper Magiſter Cęremoniarum, eas Veſperas ſpectare ad primam Dignitatem ex pręſcripto Eccleſię non per ſe, ſed per accidens, quatenus ad illam ex pręſcripto Eccleſiæ pertinent functiones ſequentes poſt Veſperas, nempe intonatio hymni *Te Deum*, & benedictio cum Sacramento ſuper Populum.

47. Præterea, dico, pręfatas functiones non eſſe habendas, ut principales, ſed ut conſecutivas, & acceſſorias Veſperis, nec ab iis diviſas, ſed quum acceſſorium debeat ſequi naturam ſui principalis, quumque Veſperę ſint de neceſſitate, & cum ſolemnitate recitandę, atque ex earum natura ex pręſcripto Eccleſię ſint celebrandę ab Hebdomadario, etiam functiones prędictę ab eo ſunt peragendæ, quum onus Hebdomadarii in functionibus ſubſequentibus Miſſas, aut Veſperas, debeat præſtari ab eo, qui Miſſam, aut Veſperas celebravit non ſolùm ex conſuetudine noſtrate, ut *n.* 23. ſed etiam ex declaratione S. C. *die* 12. *Junii* 1627. imperantis, ut in die Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a Celebrante, & in die octava ab Eo, qui dixerit Veſperas dummodo ſit Dignitas, aut Canonicus. *Mer. n.* 207. Ergo functiones ſequentes poſt Miſſas, aut Veſperas ſpectant ad Eum, qui functus fuit onere Hebdomadarii in Miſſa, & Veſperis, & ſi in ſolemnitate Corporis Chriſti, quę majoris eſt notę ſufficit, quod ſit Canonicus, eo magis erit ſatis in primis Veſperis Circumciſionis; Ideo ſicut ex pręſcripto Eccleſiæ ſpectant Veſperę Circumciſionis ad Hebdomadarium, ita ex illius pręſcriptione ad Eum ſpectant pręfatę functiones.

Quod ad primas Veſperas, & Matutinum Corporis Chriſti, licet ſupra fuerit probatum ex conſuetudine Senen.

Ec.

Eccleſię *n.* 29. 43. ſpectare ad Hebdomadarium, non verò ad primam Dignitatem, dico confirmari primò ex Eccleſię pręſcripto, deindè ex praxi ſervata a noſtro Cęremoniario.

Prætereа, ut Veſperę ex pręſcripto Eccleſię ſpectent ad primam Dignitatem, opus eſt, ut de jure debeat eas celebrare Antiſtes pleno Pontificali, quod ut verum ſit, a Lege debet pręſcribi, nempe a Cęremoniali, quod *lib.* 2. *cap.* 33. ubi agitur de feſto Corporis Chriſti, loquitur tantùm de Miſſa, & ſupplicatione, de cęteris officii partibus nec verbum quidem; *& in cap.* 1. ubi denotantur Veſperę peragendæ pleno Pontificali a Pręſule, Veſperas Corporis Chriſti non commemorat, idque ea de cauſa facit, quia 1. Veſperę alicujus Feſti ſunt exercendę de jure ab Epiſcopo pleno Pontificali, quando ab eo de jure in ſequenti mane celebranda fuerit pleno Pontificali Miſsa; Quum autem Cæremoniale *in d. cap.* 33. dicat, Antiſtitem aſſiſtere in feſto Corporis Chriſti Miſſæ cum Pluviali, non verò pleno Pontificali, aut Miſſam planam celebrare; Primæ ergo Veſperæ Corporis Chriſti non erunt celebrandæ de jure pleno Pontificali. Quum verò Veſperæ non celebrandæ de jure ab Epiſcopo pleno Pontificali, non ſpectent ad primam Dignitatem, ut dixi *n.* 26. Prima ergo Dignitas nullum jus habet in illis, ac eò minus habet jus in Matutino, ut minoris notæ, & ſolemnitatis, eoque magis quod Cæremoniale *cap.* 5. *lib.* 2. agens de Matutino coram Epiſcopo, hæc ait; *Quando Epiſcopo officium facere placuerit*, ex quo modo loquendi innuit in Epiſcopis potentiam, non vero obligationem; At ſi de jure non pertinent ad Epiſcopum, neque ad primam Dignitatem. *n.* 26. 48.

Rector rituum inſtabit rurſus ſpectare ad primam Dignitatem citatum Matutinum, quatenus ad eam ſpectet celebrare in ſequenti mane Miſsam ſolemnem, eo quod in Cæremoniali *cap.* 6. *lib.* 2. præſcribatur munus Hebdomadarii

darii exerceri in Matutino ab eo, qui eſt Miſsam celebraturus.

49. Reſp. De Lege Eccleſiæ in qualibet Cathedrali, niſi adſit privilegium Apoſtolicum, quod de facili non conceditur, ſunt recitanda Matutina de mane, exceptis triduo Paſſionis, & tota octava Corporis Chriſti, diebuſque aliis juxta ſingularia privilegia, aut conſuetudines, ut nobis per totam octavam Viſitationis: Ideo allatum capitulum loquitur de quotidiana, & ordinaria recitatione Matutini de mane, poſtquam recitatis horis ſucceſſivè ſuo loco celebratur Miſſa Conventualis, ut communiter ſervatur; non autem de recitatione Matutini in horis Veſpertinis, quæ diſjungitur a celebratione Miſsæ, cujuſmodi eſt Matutinum Corporis Chriſti, quod confirmatur exemplo feriæ 5. in Cœna Domini, in qua juxta ſententiam Cæremoniarii, & vi ſecundi uſus noſtræ Eccleſiæ, non vero de legitima conſuetudine ſpectat celebrare Miſsam ad primam Dignitatem, attamen in recitatione Matutini habita pridie ejus diei peragit onus Hebdomadarii Canonicus Hebdomadarius; Ergo recitatio Matutini habita pridie ejus diei in ordine ad onus Hebdomadarii non habet relationem ad eum, qui celebrabit Miſſam in ſequenti mane.

Quod autem 1. veſperæ unà cum Matutino Corporis Chriſti ſpectent etiam ad Hebdomadarium ex praxi ſervata à noſtro Præfecto Cæremoniarum, eſt omninò certum, ut infra oſtendam.

50. Sunt Anni 33. quod optimus ille vir meritò peragit munus Sacrorum Rituum in Eccleſia noſtrate, per dd. annos nunquam Archiepiſcopus interfuit primis Veſperis, nec 1. Matutino Corporis Chriſti, & ſemper ordinante, & aſſiſtente Præceptore Rituum omnia fuerunt peracta ab Hebdomadario Canonico, & hoc non indiget probatione, quia habet tot teſtes, quot ſunt Eccleſiaſtici in Metropolitana; Ergo ipſe Magiſter Cæremoniarum noſtratem uſum

ap-

approbavit, quum ad praxim illum reduxerit per multos annos; quare ergo paucis poſt annis peragi voluit officium Hebdomadarii in dd. primis Veſperis, & Matutino per primam Dignitatem? Quare etiam non per illam, ſed per Hebdomadarium mandavit ut celebrarentur ſecundæ Veſperæ, quando in noſtrate Metropolitana ne unum quidem extat exemplum, quod peracto officio Hebdomadarii in 1. Veſperis alicujus ſolemnitatis per D. Decanum, puro intuitu ejuſdem feſti, in ſecundis poſtea præſtetur tale munus ab Hebdomadario? Vel prima Dignitas in tali hypotheſi in 2. Veſperis abeſt, & ſuccedit ſecunda, vel prima Dignitas adeſt, & per ipſam eſt adimplendum tale onus n. 34; aliàs, ſi illa pręſente, fungeretur officio Hebdomadarii in dd. 2. Veſperis Hebdomadarius, hic inſerviret primæ Dignitati, quod in noſtra Eccleſia, ut dixi n. 24. eſt abſurdum.

Quum autem ſupponendum non ſit, noſtrum Profeſſorem Rituum pro ſua prudentia introduxiſſe ſinè fundamento ſupradictum recentiſſimum uſum de exercitio Hebdomadarii per primam Dignitatem in illis functionibus, quæ peractæ fuerunt ab Hebdomadario uſque ad annum 1743. illud inquirere operæ pretium duxi.

Baſes operationum noſtri Cæremoniarii ſunt Decreta S. C. ſummopere veneranda, præſertim verò Decretum emanatum 1672. ad inſtantiam Cathedralis Andriæ, infra enunciandum; Sed pace tamen tanti viri animadvertendum, talia Decreta in ſimili materia, ut dixi n. 20. quia emanata inſtantibus particularibus Eccleſiis, & reſpicientia tantùm earum ſingulares uſus, non habere vim Legis univerſalis, nec tollere uſus, nam ut ait *Ceccop. lib.* 1. *n.* 171. – *Conſuetudo in materia precedentia* (ut eſt præſens] *eſt valde potens; ac pluris æſtimatur, & attenditur, quam ipſa Lex, & ideo S. C.* [ſequitur idem *Ceccop, n.* 172.] *in reſponſis ad porrectas preces potius conſuetudinem, quàm jus præponderare ſolet* – atque 51.

ut

ut rem digito attingat, expendat Rector Cæremoniarum Decretum Anni 1670. pro noſtra Eccleſia *n.* 34. quod, ut viſum eſt, non tollit noſtram conſuetudinem, licèt ſit contra jus commune, expellendi ab omni functione primam Dignitatem; Imò cum addat -- *& ita ſervari mandavit in Eccleſia prædicta* -- clarè oſtendit, id genus Decreta, aſtringere ſolas Eccleſias particulares, pro quibus emanarunt, & non alias. Ex abundanti videat *ſuum amantiſſimum Pittonium decis. ad Canon. p.* 120. *n.* 389 ubi habetur, S. Congregationem pro Eccleſia Baren. 19. *Junii* 1608. declaraſſe, abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectare ad primam Dignitatem deferre in feſto Corporis Chriſti, ac per octavam SS. in publica ſupplicatione, Miſſas, & Veſperas pontificales cantare *ſine præjudicio conſuetudinis Illius Eccleſiæ* prout cenſuit ead. Cong. *in Juvenacen. 6. Maii* 1609. *& p.* 320. *n.* 1119. 21. *Julii* 1668. ubi conſtat, S. C. pro Eccleſia Lauden. declaraſſe functiones Sacerdotales ſpectare omnes ad Archipresbyterum, licèt tertiam Dignitatem, non autem ad Archidiaconum, quamvis actu Sacerdotem, *cum ita diſponatur in ſtatuto illius Eccleſiæ*, quod eſt ſervandum, ac licet de jure Archidiaconus in illa Eccleſia Cathedrali, ſit Dignitas major poſt Pontificalem, ad eamque ſpectent functiones Epiſcopales, *receptiſſima tamen concluſio eſt* (ait idem Pitt.) *quod attendatur inſtitutio, vel conſuetudo legitimè, præſcripta cujuſvis Eccleſiæ*, & ita declaraverat S. C. 9. Maii 1609. in Juvenen. Poteſt ne quæſo, dari uſus tam abſurdus, quàm uſus Eccleſiæ Lauden. quod ſpectent ad tertiam Dignitatem functiones cum excluſione primæ? Attamen, ſtante conſuetudine, fuit approbatus; idcircò in hac materia ſolummodò conſuetudines, & uſus ſunt attendendi.

52. Pro tua benignitate placeat tibi vir amantiſſime, id unum mihi reſpondere; Decreta, ſuper quibus jacis fundamentum tuarum operationum, præſertim verò decretum pro

Ec-

Eccleſia Andriæ, vel ligant omnes Eccleſias, vel non; ſi non
ligant omnes (quod eſt certum] malè ergo iis, pro noſtræ
Eccleſiæ regimine, inniteris; Si ligant omnes Eccleſias (quod
eſt falſum) debent ligare omni ex parte, quare ergo operam
non dediſti, ut omninò adimplerentur Decreta, & inter
alia illud Andriæ die 3. Decembris 1672. apud Mer. *p.* 531.
n. 449., enumerans omnes functiones ad primam Dignitatem
ſpectantes, abſente Epiſcopo, hujuſmodi exempli? *Functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt, Nat. D. N. J. C., Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aßumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, Tituli ejuſdem Eccleſiæ, Patroni Civitatis, nec non Commemoratio omnium Defunctorum, Diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, Celebratio Officii fer. V. in Cœna Domini, fer 6. in Paraſceve, feſtum Paſchatis Reſurrectionis, dies Solemnis Corporis Chriſti, cum publica ſupplicatione.* 53.

Non habeo in eo ſpectare ad primam Dignitatem Orationem 40. horarum, nec Sabbatum S., nec Benedictionem cum SS. faciendam ſuper Populum; cur ergo ea mandaſti ut fierent a prima Dignitate? Audio te dicentem, quod hæc in alio Decreto contineantur; Admiſſa authentica veritate, & juſta interpetratione hujus Decreti, quod citas, dicas mihi velim, quare S. C. in Decretis hujuſmodi materiæ, non æque loquatur, ut videre eſt, & experientia docet? ratio eſt quia S. C. in iis condendis, reſpicit uſum, non vero jus, ut ſupra dictum fuit: Quumque uſus ſint diverſi, diverſa neceſſariò debent eſſe reſponſa; Quando hæc non tibi arrideant, conferto, quæſo te, Decretum pro noſtra Eccleſia *n.* 34. conditum 29. Novembris 1670. cum Decreto Andriæ edito 3. Decembris 1672. *n.* 53. quæ ſi maturè perpenderis, non dubito, quin conveneris in ſententiam meam, pariterque confeſſus fueris, allata Decreta ligare tantùm Eccleſias inſtantiam facientes

Habeo

54. Habeo inſuper in d. Decreto Andriæ, ſpectare etiam ad primam Dignitatem, abſente Epiſcopo, feſta Epiphaniæ, Aſcenſionis, SS. Petri, & Pauli, Omnium SS., Dedicationis Cathedralis, Patroni Civitatis, & commemorationem omnium Defunctorum. Quæro ergo abs te, cur iſta, uti recenſita in hoc decreto, non dediſti operam, ut prima Dignitas cum ſolemnitate celebraret? quid ad hæc? ſi fortaſſe dicas, de ſupra memoratis non adeſſe uſum in Metropolitana Civitatis Virginis, hujuſmodi ergo decreta non adſtringunt omnes Eccleſias, ergo non tollunt uſus; Ego autem ulteriùs progrediar; ſi in tantum allata feſta non adhibuiſti curam, ut celebrarentur a prima Dignitate, eò quod in Eccleſia Senen. non adſit uſus, ſcito, nec etiam adfuiſſe conſuetudinem ante annum 1671. ut functiones Epiſcopales exercerentur a prima Dignitate, ut dixi *n.* 29. & ſequentibus, nec ante quidem annum 1743. adfuiſſe conſuetudinem, *num.* 44. ut a prima Dignitate celebrarentur Miſſæ feriæ 4. Cinerum, feriæ *6.* ſubſequentis, feriæ *6.* in Paraſceve, Sabbati S. Pervigilii Pentecoſtes, primæ Veſperæ unà cum Matutino Corporis Chriſti, ac primæ Veſperæ Circumciſionis, ut probatum fuit *n.* 40. & ſequentibus.

55. Ne dedigneris, Amice quæſo te, benevolas mihi præbere aures, volo tibi exploratum ſit, quod, me præſente Romæ a peritiſſimo Magiſtro Cæremoniarum tyroni, neſcio cui, accepi ſuper inſtitutionibus talibus dictum: *ubi publicè operam navaveris, tua* (inquit ille) *Principis, atque Magiſtri ex Cathedra docentis, intererit, agere, docere munere* (ut apud Paridem Craſſum p. 5. Cap. 2.] *non verò inſtar Diſcipuli coram Præceptore pertimeſcentis trepidare; & ingenio tuo eruditiſſimo, ubi Eccleſia tua inſerviet, non mediocris laudis fructus accedet, ſi ejuſdem uſus conſtanter adhibueris.*

56. Sed ut ad propoſitum redeamus animadverte, amabo te, quod mox dicturus ſum. D. Decanus Piccolomineus

anti-

antiquiſſimus fuit Capitularis, quum primò adſcriptus fuerit inter Canonicos Anno 1654. deindè 1657. & poſtremo tandem Decanus 1666. Hunc autem ab Anno 1671. ad 1717. quo obiit, conſtat in Libris horarum tempore abſentiæ Archiepiſcoporum, vel Sedis Senen. vacantis, ſemper fuiſse præſentem, atque oculis ſuis vidiſse, celebrari a Canonico Hebdomadario Miſsas fer. 4. Cinerum, feriȩ 6. ſubſequentis unà cum functione 40. horarum, feriȩ 6. in Paraſceve, Sabbati S. & Sabbati in pervigilio Penteco-ſtes, unà cum benedictione Fontis, 1. Veſperas cum Matutino Corporis Chriſti, & 1. Veſperas Circumciſionis cum ſolita benedictione SS., & tamen nulla in re obſtitit, nihil locutus fuit, nec ſibi illa vindicavit, quum cȩteroqui eſset acerrimus, ac ſtrenuiſſimus propugnator ſuȩ juriſdictionis, quumque illi certò notȩ eſsent functiones ſibi attributȩ in obſequium Archiepiſcopi Piccolominei, & ex benignitate Capituli anno 1671. fateamur oportet, allatas functiones nõ fuiſse ei commiſsas, nec ad illum ſpectaſſe. Nec in tam excellenti viro ſupponenda eſt inſcitia Decretor. S. C. ſed quid tamen? Tute annis 1713. 14. 15. prȩſtitiſti tuum munus Canonico Hebdomadario celebranti citatas functiones; quare igitur, quum hȩc omnia ſint certa, denegare audes, eas ſpectare ad Hebdomadarium, quando habet jus acquiſitum per plura ſecula, quum natura dictet neminem jure ſuo ſpoliandum eſſe; Quid ad hæc dicis? quid reſpondes?

Poſtremo, quum quilibet, ex tribus uſibus deſuper demonſtratis, ad praxim fuerit deductus in Metrop. ſpectandus Vir ſententiam meam rogavit, quis eorũ eſſet ſervandus. 57.

Reſp. Mihi non integrum eſſe ſuper hac re dijudicare, quum aliud mihi non propoſuerim, quàm me vindicare, & meam propugnare ſententiam in Sacra Ephemeride expreſſam. In obſequium tamen tanti viri, a quo ſum interpellatus, quem plurimi facio, quid liberè ſententiam, expo-

 nam

nam. E' tribus uſibus, eum præcipuè eſſe ſervandum, qui immemorabilis, & rationabilis eſt. Quis eorum hujuſce generis ſit, jam dixi *n. 9. ad. 12. & 29.* & ad ea ibi expreſſa tanti nominis Virum provoco.

Licet res ita ſe habeat, quum agatur de re ad liberam, & abſolutam libertatem Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Capituli pertinente, cujus ſapientiſſimo judicio me ipſum, & humillimam diſſertationem ſubjicio, ſtatuo, & confirmo ad Capitulum pertinere liberè, quid ſentiat, exponere ſuper allatis uſibus, & arbitratu ſuo, quem ex his malit ſeligere,

58. ut ſapientiſſimè ſe geſſit die ſecunda Aprilis currentis Anni 1746. decernens, donec provideatur, & ſalvo jure utriuſque partis, primæ Dignitatis ſcilicet, & Hebdomadarii functiones tantum in 2. uſu *n.* 43. expreſſas, peragendas eſſe a prima Dignitate, uti ſtatim ad praxim fuit redactum, diebus enim 3. 7. & 10. Aprilis, Dominica Palmar. ſcilicet, & Feria 5. in Cœna Domini, & Dominica Reſurrectionis Sacras Functiones per ſe ipſum præſtitit D. Decanus; diebus verò 8. & 9. d. menſis feria 6. in Paraſc. ſcilicet, & Sabbato S. peregit D. Canonicus Hebdomadarius, & hac ejus prudentiſſima ſanctione è medio ſublatus fuit tertius uſus, ut *n.* 44. apparet.

59. Notandum 4. Nullum Matutinum ex præſcripto Eccleſię, & Senen. Metropolitanæ conſuetudine ſpectare ad primam Dignitatem, ſed ad Hebdomadarium; in hac mea aſſertione in præſentiarum excludo hìc Matutinum noctis Nat. D. N. J. C., de quo ut infra.

60. Ut Matutinum ſpectet ad primam Dignitatem, qua prima Dignitas eſt, ſalva contraria conſuetudine, neceſſe eſt, quod ſit Matutinum feſti ſolemnis 1. aut 2. claſſis, quod ſpectet ad Archiepiſcopum, & quod ſit præſens Capitulum: Quum autem hæc certa, atque indubitata ſint abs re eſſet rationibus confirmare. Matutina ergo 1. aut 2. claſſis quibus

bus intereſſe ſolet Capitulum, ut dixi *n.* 5. ſunt de more tria, Paſſionis, 1. Corporis Chriſti, Viſitationis, & præter morem S. Jo: Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut *n.* 3. 4. Quum autem nullum ex iis præciſè, & per ſe ſpectet ad Epiſcopum, ut ſupra oſtendi, ex illis nullum ſpectat ad primam Dignitatem, quum omnia uſque in hodiernum diem, exceptis noviſſimis exemplis Corporis Chriſti, *&* S. Jo: Baptiſtæ, quæ non ſunt attendenda, nec in exemplum adducenda, fuerint ſemper celebrata, & celebranda ſint a Canonico Hebdomadario, per eum pariter ex uſu Senen. Eccleſiæ ſunt celebranda, non verò per primam Dignitatem, aut per Beneficiatum.

Quod ad Matutinum noctis Nat. D. N. J. C. ex præſcripto Eccleſiæ, dico non ſpectare ad primam Dignitatem; ratio eſt, quia principalis actio hujus noctis eſt Miſſa, uti ſolemnis, & conventualis, cui anteponitur Matutinum, eo quod Eccleſia nunquam celebret Miſſam Conventualem, niſi antepoſita recitatione alicujus horæ Canonicæ *Mer. Tom.* 2. *p.* 172. ideo hoc Matutinum eſt acceſſorium, & præparatorium ad Miſſam, & ab illa indiviſibile, quum verò acceſſorium debeat ſequi naturam ſui principalis, ſcilicet Miſſæ, quæ per ſe non pertinet ad Epiſcopum, Cæremoniale enim *lib.* 2. *cap.* 14. illum non aſtringit eam celebrare, ut facit in tertia, de qua legitur, *omnino cantabit Epiſcopus*, ſed aſſiſtere cum Pluviali, ut liquido dicit in Cap. 34. quumque Miſſæ, quibus mandatur Epiſcopis aſſiſtere, non ſpectent, ut dixi *n.* 27. ad primam Dignitatem, neque Matutinum, uti acceſſorium, & minus principale; Demptis verò Epiſcopis, nunquam legi, quod ab uno celebretur Matutinum, ab alio Miſſa, quod eſſet contra noſtrum uſum, ut dixi *n.* 23. Ergo &c. 61.

Supereſt tamen, ut videamus an ſpectet hoc Matutinum, abſente Archiepiſcopo, ad primam Dignitatem de uſu hujus Eccleſiæ.

Dico

62. Dico quod ab anno 1406. ad 1671. ſemper in citatis libris vidi celebratam Miſſam ab Hebdomadario, eoque magis Matutinum. Ab anno vero 1671. uſque in hodiernam diem in præfatis libris conſtat, plerumque Miſſam illius noctis fuiſſe celebratam a prima Dignitate, interdum ab Hebdomadario, qua in re ſit Judex qui velit. Unum addam, quod actus peracti a prima Dignitate quum tempus ſeculare non habeant, nec ſint frequentes, ac perpetui, ſed interciſi, non ſunt exempti ab aliqua mutatione.

Poſtremo ſupereſt, ut inveſtigemus, utrum ne functiones feriæ 6. in Paraſceve, & Sabbati S. ſpectent ad Hebdomadarium, an ad primam Dignitatem.

Jam dixi *pag.* 39. quod Cæremoniale non excludat in dd. functionibus ab officio Hebdomadarii Perſonam, ad quam ex uſu Eccleſiarum ſpectat. Addidi *n.* 28. onus Hebdomadarii pendère a conſuetudine. Oſtendi *a n.* 9. *ad* 22. uſui immemorabili, & rationabili non obſtare Pontificias Conſtitutiones, nec Cæremoniale, nec Decreta S. C. eumque uſum eſſe manutenendum. Quum autem conſuetudo Eccleſiæ Senenſis ea ſit, ut ab Hebdomadario exerceantur præfatę functiones, quumque talis conſuetudo ſit immemorabilis, quum de illa non habeatur initium, *n.* 29. quumque fuerit ſervata illæſa pro Hebdomadario ab Anno 1406. ad ſolidum annum 1742. *n.* 29. 30. 31. & rationabilis a Lege ſcilicet non proſcripta & exempta ab omni abrogatio ne, *ut a n.* 9. *ad* 22. & a S. C. hæc conſuetudo non improbata *n.* 34. nullum ergo in iis functionibus habet jus prima Dignitas, ſed ad Hebdomadarium pertinent.

Reſp. tandem tertiæ rationi D. Rectoris rituum, quod, exercente prima Dignitate munus Hebdomadarii in Matutino S. Jo: Baptiſtæ in noſtro caſu, erat conſideranda ut Hebdomadaria, non verò ut prima Dignitas, ut infra probat.

Ultra rationes allatas, *n.* 35. 59. 60. ad quas &c. dico, qu-

um

um feſtum S. J: Baptiſtæ ſit de illis, quæ a Cæremoniali cap. 34. lib. 2. præſcribuntur Epiſcopis ſolemnizanda cum Pluviali, aſſiſtentibus Canonicis in habitu Canonicali, & feſta ita ſolemnizanda non pertineant, ut dixi *n.* 27. ad primam Dignitatem, ſed ad Hebdomadarium, ergo exercens onus Hebdomadarii D. Decanus in d. Matutino, repreſentabat perſonam dumtaxat Hebdomadarii. Nec eſt improbandum, quod prima Dignitas in ſacris functionibus duas repęrſentet perſonas, nempe primæ Dignitatis, & proprii Hebdomadarii, quia *S. C. 26. Novemb. 1606. in Fulginaten. apud Pitt. ad Canon. p. 1. 142. n. 489. reſcripſit: Decanus, qui ex conſuetudine ſimul eſt Canonicus, & una hebdomada ſervit ut Decanus, & altera ut Canonicus, in hebdomada, qua ſervit ut Canonicus debet ſedère in loco Canonicali circumſcripta conſuetudine*; Idcirco prima Dignitas duas poteſt repręſentare perſonas, primæ Dignitatis, exercendo, ubi non adeſt contraria conſuetudo, functiones merè Epiſcopales, & Hebdomadarii, peragendo ſacra in ſua hebdomada, ut in re noſtra eſt, quibus ut certis poſitis, lectiones 3. Nocturni in d. Matutino erant cantandæ a Canonicis, juxta ordinem incœptum, non autem a Dignitatibus, prout Rectori Cæremoniarum viſum fuit; Et ita ablata erat difficultas, quæ propter ordinis interruptionem ſuboriebatur. His non obſtantibus.

Dico, dato, & non conceſſo, quod D. Decanus exercuiſſet officium Hebdomadarii in noto Matutino, ut prima Dignitas, attamen præfatę lectiones erant recitandæ a Canonicis, non autem a Dignitatibus, ut infra 63.

Quum is uſus ſit Capituli Senenſis, ut ipſius prima Dignitas in Sacris functionibus, ſive eas peragat, qua prima Dignitas eſt, ſive qua Hebdomadarius, nullo peculiari præ ceteris Capitularibus honoris diſcrimine habeatur; Quumque quoties quilibet Capitularis fuerit perfunctus

onere

onere Hebdomadarii in Matutino S. Jo: B. in noſtro caſu, ſemper lectiones 3. nocturni cantatę fuerint a Canonicis ſucceſſive, ſcilicet juxta ordinem incœptum, non autem a Dignitatibus; ita pariter erat ſervandum, exercente prima Dignitate, etiam qua prima Dignitas eſt onus Hebdomadarii in Matutino S. Jo: B. in noſtro tamen caſu, ne illa honore exuperaret alios Capitulares.

Quum autem ſupra expoſita afficiant tantùm Metropolitanam Senenſem, cujus conſuetudo, & privilegia obtinuerunt, ut illius Capitulum præter Matutina Paſſionis, ac Noctis Nat. D. N. J. C. honorificet ſua præſentia ſolùm Matutina Corporis Chriſti, Viſitationis B. M. V. ac omnia per decurſum utriuſque octavæ occurrentia; videamus, quid ſit ſentiendum de ordine ſervando in recitatione lectionum Matutini in Eccleſiis, ubi illarum Capitula aſſiſtunt quotidie Matutinis horis.

Lectiones in Matutino juxta *Cærem. cap. 6. lib.* 2. ſunt legendæ a Canonicis, incipiendo a junioribus ad ſeniores, præſertim diebus feſtis; ideo non feſtis deducitur poſse legi a non Canonicis; attamen *ait Ceccop. lib.* 2. *n.* 89. in primo Nocturno poſse legi a Clericis, in 2. a Cappellanis, in 3. a Canonicis, ſingulæ a ſingulis, maximè in ſolemnioribus, vel tres lectiones cujuſlibet nocturni recitantur pariter ab uno ipſorum pro more Eccleſiarum; deficientibus verò Clericis, aut Cappellanis, omnes a Canonicis recitantur, incipiendo a junioribus ad ſeniores.

Quum autem in legendis lectionibus Matutini præſente Capitulo ſtandum ſit conſuetudini, in hac materia non immorabor, ſed me vertam ad uſum hujus Metropolitanæ.

Noſtrum Capitulum intervenit Matutinis in nocte Nat. D. N. J. C; ac in triduo Paſſionis, ſed cum in iſtis recitatio lectionum non longe abeat a præſcripto Cæremonialis, nihil eſt, quod de his quidquam loquar.

In

In Matutinis verò Corporis Chriſti, Viſitationis, ac per dies utriuſque octavæ, hæc conſuetudo hucuſque ſervata fuit in legendis lectionibus; tres lectiones 1. & 2. Nocturni ſemper recitantur à Choriſtis, ab uno ſcilicet lectiones 1. Nocturni, ab alio lectiones 2. Nocturni; in 3. verò Nocturno in primo Matutino Corporis Chriſti, & Viſitationis, 1. & 2. lectio a duabus primis Dignitatibus in Choro exiſtentibus, ſive ſit in onere Hebdomadarii prima Dignitas, ſive Alia, ſive Canonicus, 3. lectio ſemper ab Hebdomadario; occurrentibus verò infra octavam Corporis Chriſti feſtis SS. Jo: B. & Apoſtolorum Petri, & Pauli, in eorum primis Matutinis in 3. Nocturno 1. & 2. lectio cantantur a duobus Capitularibus ſucceſſive, juxta ſcilicet ordinem incœptum, non verò a conſtitutis in Dignitate, quamvis prima Dignitas, etiam qua prima Dignitas eſt, eſſet in munere Hebdomadarii; Aliiſque diebus utriuſque octavę in 3. Nocturno lectiones leguntur ab una ex ſubſequentibus Dignitatibus, vel ab uno Canonico ordine ſucceſſivo; ac quotieſcumque in 3. Nocturno cantantur lectiones a tribus Capitularibus, ſemper a Choriſtis cantantur reſponſoria illius Nocturni. Allata ergo hæc noſtra conſuetudo, maximè quum ſit immemorabilis, ac hujuſmodi uſus non ſint abrogati, *ut ait Merat. ſeſſ.* 10. *cap.* 2. *pag.* 253. *n.* 1. *pag.* 254. *n.* 11. eſt omnino manutenenda. 64.

Dico inſuper, dato, nec conceſſo, quòd lectiones fuiſſent recitandæ a Dignitatibus, nulla fuiſset interruptio; quia hęc eſſet interruptio, ſi v. g. lectis lectionibus primis duobus diebus a Dignitatibus, duobus, vel tribus ſequentibus a Canonicis, ſucceſſive per aliam diem a Dignitatibus, & tandem in ultimo legerentur a Canonicis; ſed in noſtro caſu fuerunt lectæ poſt Dignitates ſemper a Canonicis uſque ad Matutinum S. Jo: Baptiſtæ, ultimum recitandum coram Capitulo, adeout uſque ad illud nulla fuerit interruptio, neque adfuiſset, etiamſi a Digni-

gnita-

Digitized by Google

gnitatibus decantarę fuiſsent lectiones 3. Nocturni, quia non erat regreſsus ad Canonicos; ergo &c.

Convulſis, ac labefactatis tribus rationibus D. Cæremoniarii, ſupereſt ut videamus, ut alibi promiſi, quod omiſſio Hebdomadarii Canonicalis in Matutino Pręcurſoris; fuerit abuſus, & introductio irrationabilis conſuetudinis;

66. *Abuſus*, quia contra doctrinam omnium Rubriciſtarum, uno ore aſserentium eaſdem ſolemnitates eſse adhibendas in Laudibus, quæ habitę fuere in 1. Veſperis, & pro brevi manu videri poſsunt *Corſett. n.* 121. *Bauld. n.* 343. *Merat. n.* 257. *Gavant. n.* 161. *n.* 6. *&c.* -- *Abuſus*, quia contra ſanctum, juſtum, & maximè immemorabilem uſum noſtrum. *Abuſus*, quia contra præſcriptum Cęremonialis pręcipientis *Cap.* 6. *lib.* 2. celebranti Matutinum, ut peragat in Laudibus omnia peracta in Veſperis, uti ſunt Pluvialia, & Thurificatio, in quorum confirmationem Bened. XIII. in fine d. Capituli ſuperaddidit -- *In feſtis non ſolemnibus, & diebus ferialibus Pluvialia indui non oportuit* -- & in fine Cap. 3. de Veſperis idem Pontifex ſubjunxit, *In duplicibus minoribus, & ſemiduplicibus &c. non oportet Hebdomadarium eſſe paratum, nec fieri thurificationem*; ergo ſecundum illius mentem in Cęremoniali expreſsam Pluvialia, & Thurificatio ſunt adhibenda in feſtis ſolemnibus 1. & 2. claſſis tam in Veſperis, quàm in Laudibus, quum duplicia 1. & 2. claſſis ſecundum doctrinam Eccleſiæ, & Rubriciſtarum ſint feſta ſolemnia; præcipuè quando liquido apparent in Cæremoniali, quod improbare mera eſſet inſania; Sed cum in noſtra Eccleſia Pluvialia, & Thurificatio, præſente Capitulo, non poſſint adhiberi in munere Hebdomadarii, niſi a Capitularibus, ergo in noſtro Matutino a Canonico erat peragendum munus Hebdomadarii, quum feſtum S. Jo: Baptiſtæ, non ſolùm ſit expreſſum inter feſta ſolemnia Cæremonialis, ſed etiam feſtum primæ claſſis; fe-

ſta

ſta autem talis ritus non tantùm ſunt ſolemnia, ut dixi, ſed etiam ſolemniora, ut in Cæremoniali *lib. 1. cap. 3.* & magnæ ſolemnitatis, ut in Rituali Romano *p.* 106. ubi docet non eſſe omittendam Miſſam in die obitus Defuncti præſente Corpore, niſi obſtet magna diei ſolemnitas, quæ verba -- *Magna diei ſolemnitas* -- aliqui Rubriciſtæ volunt comprehendere omnia duplicia 1. claſſis; nonnulli aliqua eorum; alii tandem feriam *6.* in Paraſcevę, & primam diem Reſurrectionis tantùm; Sed S. R. C. abſtulit è medio omnem quæſtionem, *ſub die enim 5. Julii 1698. apud Merat. n. 535. n. 525. decrevit -- In duplicibus primæ Claſſis, etiam præſente Corpore non poſſe cantari Miſſam Defunctorum* --; ideo omnia feſta 1. claſſis ſunt magnæ Solemnitatis; Sed inter feſta primæ claſſis in Rubricis Breviarii habetur Nat. S. Jo: Baptiſtæ, ergo hoc feſtum, eſt ſolemne, ſolemnius, & magnæ ſolemnitatis; Si autem in Matutinis feſtorum citati characteris non ſit adhibendum onus Hebdomadarii præſente Capitulo a Canonico, quando erit ab illo peragendum?

Iſtas validiſſimas rationes uſque adeo agnovit noſter Cæremoniarius, ut dixerit uni ex DD. Capitularibus, deberi onus Hebdomadarii Canonico in Matutino S. Jo: Baptiſtæ vi Cæremonialis, id autem in praxim deductum non fuiſſe, quod ſibi dictum fuerit talem in noſtra Eccleſia non adeſſe uſum. Hoc ejus loquendi modo, quotus eſt, quin ſatis probe intelligat eum confeſſum fuiſſe uſus eſſe manutenendos, etiam contra præſcriptum Cæremonialis, nec ab eo tolli conſuetudines? At pace tanti viri, non cuivis garrienti temere credendum fuit, ſed ad exempla recurrendum, quæ ipſum in promptu habere oportuit; Attamen quando uſus de Hebdomadario Canonicali in Matutino S. Jo: Baptiſtæ in noſtro caſu non adfuiſſet, quod eſt falſum, ad ipſum ſpectabat introducere, is enim non uſus, fuiſſet abuſus; quia contra præſcriptum Cæremonialis, ut dixi n. 59. *66.*

Si

Digitized by Google

Si noſtri Cæremoniarii verba attendes, magnum dixeris ineſſe in eo zelum pro manutentione noſtratium uſuum, ſed facta verbis non reſpondent.

Præſcribitur ab Eccleſia pulſari ſolemniter æs campanum exterius ad hymnum Cherubicum in Miſſis Conventualibus, feriæ 5. in Cœna Domini, Sabbati S. & pervigilii Pentecoſtes tantùm, & poſt elevationem Calicis nunquam, ut ſervatur in Archibaſilica Lateranenſi omnium Eccleſiarum Urbis, & Orbis Magiſtra, ac Matre, ut ex Epiſtola inde mihi tranſmiſſa, ac penes me exiſtente apparet, ubi etiam additur Romæ in Eccleſiis Cleri Secularis ita ſervari; His tamen non obſtantibus, in noſtra Eccleſia, abſente Archiepiſcopo, fuit ſemper uſus pulſandi nolas ad hymnum Angelicum, & poſt elevationem Calicis in Miſſa ſolis citatis diebus, & in Miſſis Nativitatis D. N. J. C. ad repręſentandam, credo, exultationem Angelorum, ut eſt praxis multarum Eccleſiarum; præſente vero Archiepiſcopo, illo celebrante, vel aſſiſtente cum Pluviali, non verò cum Cappa, ſemper fuit adhibitus dictus duplicatus ſonitus in Miſſa Conventuali, excepta Dominica Palmarum.

Dixi *excepta Dominica Palmarum*, quia Eccleſia, enunciata publicè & ſolemniter Paſſione Domini, abſtinet ab omni ſigno lętitiæ, qua de cauſa nunquam in uſu fuit in noſtra Metropolitana, & Eccleſiis Romanum Ritum ſequentibus, hujuſmodi ſonitus, nec exornandi candelabris argenteis Aram, ad quam functiones ſunt peragendæ, etiam celebrante, vel aſſiſtente Præſule, & eadem ratione, Illuſtriſſimus, & Excelſus noſter Senatus, qui tubis, lituiſque ſonantibus, ac ſolita pręclara pompa ad Metropolitanam acceſſit, ſapientiſſimè depoſito omni gaudio, cum mœſtitia recedit.

Omnibus ſupra expreſſis non obſtantibus D. Rector rituum zelo illo ſervandi noſtrates uſus, quem præſefert, ne-

glecto

gleſto, in toto anno 1745. & 46. defunſto Archiepiſcopo, introduxit novum uſum pulſandi æs campanum in locis citatis Miſſæ ſolemnis, non ſolùm diebus prænotatis, ſed etiam in Circumciſione, Epiphania, Purificatione, in triduo Paſchatis, in Aſcenſione, in triduo Pentecoſtes, in Feſtis Trinitatis, Corporis Chriſti, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis, Omnium Sanſtorum, Dedicationis Eccleſiæ, S. Anſani, Conceptionis, SS. Thomæ Apoſtoli, Stephani, & Jo: Evangeliſtæ, & etiam in Dominicis, Palmarum ſcilicet, & in Albis; Equidem hunc novum ritum, quum ille ſit fere univerſalis, ab Eccleſia non proſcriptus, & excitet Corda Fidelium ad magis venerandum Myſterium illud, aut Sanſtum, de quo agitur memoria, non auſim improbare, imo cum ſit fruſtuoſus, pius, ſanſtus, & juſtus, eſt manutenendus, ac proſequendus; Unum tantùm approbare non poſſum, quod tàm ſolemnis æris campani ſonitus non fuerit excitatus ad hymnum Angelicum, nec poſt Calicis elevationem in omnibus feſtis, in quibus erat excitandus, licet majoris notæ, ſolemnitatis, & dignitatis quàm ſint ea, in quibus adhibitus fuit.

Fuit præterea præfatus ſonitus excitatus in feſtis 2. claſſis, ſcilicet Circumciſionis, Trinitatis, Purificationis, & Conceptionis B. M. V. quare non etiam in illius Annunciatione, & Nativitate, æqualis ritus, & ſolemnitatis cum ſupradiſtis, & majoris notæ, & ponderis, quàm duo ultima Feſta; Nativitas enim Purificationi eſt præferenda, & Annunciatio Conceptioni, cum prævalere debeat Incarnatio Verbi Conceptioni Virginis? Cur talis pulſatio ſit in feſtis SS. Thomæ, Stephani, & Jo: Evangeliſtæ, non verò in præcitatis duobus feſtis B. M. V. æqualis ritus, ſed majoris dignitatis, quàm diſta tria feſta? Tandem quare non eſt exauditus nolarum ſonitus in Nativitate Præcurſoris majoris ſolemnitatis, quia majoris ritus, nempe 1. claſſis, omnibus ſupradiſtis, & majoris ritus, & dignitatis, quàm ſint

feſta

feſta SS. Thomæ, Stephani, & Jo: Evangeliſtæ? cur illæ pulſandæ in feſtis Apoſtolorum Petri, & Pauli, Dedicationis Eccleſiæ, & S. Anſani, non verò in Nativitate S. Jo: Bapt. æqualis ritus cum illis, ſed majoris Dignitatis, ut clarum eſt & alibi oſtendam. Dico tandem pro coronide hujus ritus, vel in nullis, abſente Archiepiſcopo, erant pulſandæ juxta ritum noſtræ Eccleſiæ, vel in omnibus ſupra expreſſis, ut in Cæremoniali explicitè, & implicitè deſcriptis; quod piè, & juſtè ſentio eſſe faciendum.

Hanc meam alternativam propoſitionem cum perpendiſſet Reverendiſſimus D. Canonicus Fabius Bichius, vigilantiſſimus Chori Prior, prudenter, ſapienterque mandavit hoc anno 1746. ut excitaretur æris campani ſolemnis ſonitus in Miſſis conventualibus Metropolitanæ, tum ad Hymnum Cherubicum, tum poſt adorationem Calicis in Natalitiis Deiparæ, ac Præcurſoris, quod communi omnium plauſu adimpletum fuit, idque conſtanti animo tenet idem D. Canonicus peragendum eſſe in feſto Annunciationis; Et ita debitus tribuetur cultus feſtis omnibus in Cæremoniali deſcriptis.

Inſtabit fortaſſe Rector rituum ideo non fuiſſe pulſatas nolas in Annunciatione, & Nativitate B M. V. & Præcurſoris, quia hæc feſta perſonaliter non ſolemnizantur ab Archiepiſcopo.

Reſp. primò: Nec Dominica in Albis, nec feria 3. Pentecoſtes, nec Conceptio B. M. V. ſolemnizantur perſonaliter ab Archiepiſcopo, nihilominus nolæ fuerunt pulſatæ, licet de illa feria 3. & Conceptione ne verbum quidem Cæremoniale, & hac ratione puto a Pontifice non haberi Capellam Papalem in feriis 2. & 3. Pentecoſtes, nec in Conceptione; ſecus autem haberi in Annunciatione, Nativitate B. M. V. & Præcurſoris, quum hæc, non illa in Cæremoniali deſcribantur; ergo ſi in noſtra Eccleſia fuit ex

novo

novo uſu dictus ſonitus adhibitus in feſtis in Cæremoniali non deſcriptis, & Capellam Papalem non habentibus, eo magis in deſcriptis, & Pontificia Capella fruentibus.

Reſpondeo. 2. Ad hoc, ut aliquod feſtum dicatur ſolemne, non eſſe neceſſarium, quod illud ab Epiſcopo ſolemnizetur *pleno, vel ſemipleno Pontificali*, quum hoc ſit ad ejus libitum, quia in cap. 34. lib. 2. ubi aſſignantur Epiſcopis feſta, ut ſupra, celebrare, habeatur hoc verbum *poterit*, per quod oſtenditur in Epiſcopo potentia, non neceſſitas, ergo feſta ſolemnia, remanent ſolemnia, etiam ab Epiſcopis perſonaliter non ſolemnizata, aliàs in Eccleſiis, ubi Epſcopi nunquam reſident, ut evenit habentibus duplicem Cathedralem, aut a Pontifice diſpenſatis, nulla adeſſet ſolemnitas, quod aſſerere ſumma dementia eſſet. Ad hoc autem, ut aliquod feſtum ſit ſolemne, ſufficit quod ſit deſcriptum in Cæremoniali, & poſſit ab Epiſcopo ſolemnizari *pleno*, vel *ſemipleno Pontificali*; Sed Annunciatio B. M. V. eſt expreſſa in Cæremoniali, & præſcribitur Epiſcopis celebrare *pleno Pontificali*, ut in cap. 34. lib. 2. & Natalitia illius, ac Sancti Jo: Baptiſtæ *ſemipleno Pontificali*, ut in d. cap. ergo iſta remanent ſolemnia, etiam abſente Archiepiſcopo; Si igitur in aliis ſolemnitatibus, etiam non deſcriptis in Cęremoniali, & minoris ritus, & dignitatis, quàm tria ſupradicta, abſente Archiepiſcopo, fuerunt pulſatę campanę in Miſſa Conventuali, ad hymnum Angelicum, & poſt elevationem Calicis, tanto magis etiam abſente Archiepiſcopo, erunt pulſandę in Annunciatione, Nativitate B. M. V. & Præcurſoris. Sed ad propoſitum revertamur.

Omiſſio igitur Canonicalis Hebdomadarii in Matutino S. Jo: Baptiſtę fuit introductio irrationabilis conſuetudinis

Prob. Non ſolùm lex Eccleſię, ut in Cerem. cap. 7. lib. 2. & doctrina omnium Rubriciſtarum, ſed etiam naturalis ratio docent minori ſolemnitate eſſe celebrandas horas mino-

res

res, quàm Matutinum cum Laudibus; Quum verò in noſtrate Eccleſia juxta Cęremonialis pręſcriptum, loco citato, ſit ſtylus, & conſuetudo juſta, & debita, ut a Canonico exerceatur onus Hebdomadarii pręſente Capitulo ad tertiam, unam ex minoribus horis in Nat. S. Jo. B. ſi tale munus non exerceretur a Capitulari in Matutino, ſequeretur hoc abſurdum, quod majori ſolemnitate celebraretur Tertia; quàm Matutinum; at quotus eſt qui hoc aſſerat, atque confirmet? quotus eſt quin intelligat permiſſionem oneris Hebdomadarii Beneficiato in Matutino S. Jo: in noſtro caſu fuiſſe verum abuſum, & introductionem irrationabilis conſuetudinis ex albo delendę, ne in poſterum, pręſertim verò anno 1753. in abſurdum, atque ſcandaloſum exemplum inducatur; *Scandaloſum* inquam, pręſertim verò, quum apertè doceat Paris Craſſus *in ſuo Carem. pag.* 3. *Cap.* 1. Cęremonias eſſe, *honorem ab hominibus Deo, vel hominibus propter Deum exhibitum*: ex omiſſione ergo Canonicalis Hebdomadarii Chriſtus Dominus exiſtens in Sacramento publicè expoſito, non recepit debitum cultum Latrię, quem recepiſſet in thurificatione ad Canticum *Benedictus*, & ex omiſſione incenſationis Chori, Deus non fuit honoratus in ſuis Miniſtris; Lęſa fuit communis exiſtimatio, quam habebat tota Provincia de ſacris Ritibus noſtri Capituli; non leviter offenſus D. Chori Prior, cum ſub ejus nomine Calendarium in lucem prodeat; maximè autem omnium offenſus Calendarii auctor, quum apparuerit apud omnes mentitum fuiſſe; quot in uno facto fuere abſurda? non adſcribenda tamen inſcitię D. Cęremoniarii, quia ſapientiſſimi, ſed illius bonitati, quòd nimis facilè fidem habuerit neſcientibus uſus noſtrę Eccleſię, pręſcripta Cęremonialis, & legitimum ſenſum Decretorum S. Congregationis.

Tandem quum ex omnibus hucuſque dictis exploratum ſatis ſit pręſtandum fuiſſe munus Hebdomadarii in Matuti-

Digitized by Google

no feſti Natalitii Baptiſtę a Canonico, neque omittenda Pluvialia, & Thurificationem ad laudes, in caſu noſtro, non ſolùm ex maximè inveterata conſuetudine noſtrę Metropolitanę, ſed etiam, ut pluribus in locis dixi, ex pręſcripto Eccleſię, quæ ad ea omnia peragenda coarctat omnes Cathedrales, & Collegiatas, non infra octavam tantum Corporis Chriſti, ſed quot annis, toties quoties illarum Capitula interſunt prędicto Matutino. Tandem pro mei aſſerti confirmatione, remanet differendum, de dignitate ſcilicet feſti Natalitii Pręcurſoris, ut clarè illuceſcat illius pręeminentia ſupra feſta Dedicationis Eccleſię, Apoſtolorum Petri, & Pauli, atque Anſani, ut alibi ſpopondi.

Dignitas, & pręeminentia cujuſque feſti dignoſcitur ex ritu, dignitate Perſonæ, pręcipuoque cultu, & ſolemnitatibus ex indulto Eccleſię, vel uſu adhibitis in illo. Celebrat ergo Eccleſia Nativitatem Baptiſtę ſuperiori ritu ab ea pręſcripto, nempe primę claſſis, non conceſſo generatim, exceptis Apoſtolis Petro, & Paulo, feſto alterius Sancti, pręcipuè verò Dedicationi Eccleſiæ, Patrono, & Titulari, v. g. S. Anſano; ergo in ritu Præcurſor eſt ęqualis illis, hoc intercedente diſcrimine, quod ritus 1. claſſis S. Jo: eſt univerſalis, illorum particularis. Quod verò ad dignitatem, attenditur ordo hierarchicus; Primus ordo ſtat pro Domino, ſecundus pro Virgine, tertius pro Angelis, quartus pro Jo: Baptiſta, & hæc clarè conſtant non tantum ex oraculo Jeſu Chriſti, *Matth.* 11 ſed in officio omnium Sanctorum, in Litaniis, in Confeſſione generali, in ſuffragiis, in oratione *A cunctis*; ergo S. Jo: B. poſt Angelos eſt omnibus anteponendus, cum omnibus ratione dignitatis ſit ſuperior, quod confirmatur a *Patre Joanne Michale Cavalerio par.* 1. *p.* 108. *n.* 10. 11. *p.* 112. *n* 28. ideo Baptiſta eſt ſuperior dd. Apoſtolis, & Patrono Anſano, & Dedicatione. Circa quam Dedicationem cum a multis vocetur feſtum

Domini

Domini, a Rubriciſtis præferebatur Nativitati S. Jo: Baptiſtæ; ſed S. C. 21. Auguſti 1688. & iterum 23. Junii 1736. declaravit, concurrente Dedicatione Eccleſiæ, cum Nativitate S. Jo: Baptiſtæ, de hac eſſe recitandas Veſperas, cum commemoratione Dedicationis, & pariter diebus infra octavam recitari debere officium de S. Jo: Baptiſta cum commemoratione Dedicationis; ergo Dedicationi eſt præferenda Nativitas Præcurſoris, utpote illa dignior *Merat. T. 2. p. 569. & 582 n. 156. & 327. &* P. *Cavalerius, ut ſupra.* Diſtinguitur quoque præeminentia alterius ſolemnitatis ab altera ex particulari cultu, & ex ſingularibus circumſtantiis illam comitantibus; Eccleſia ergo priſcis temporibus teſte *Gugliel. Durando lib. 1. pag. 28. & lib. 7. pag 291.* mandavit ſolemnizari Natalitia Baptiſtæ cum præcedenti Quadrageſima, redacta deindè ob humanam fragilitatem ad tres hebdomadas, cum onere vacandi orationibus, eleemoſynis, jejuniis, & abſtinendi a nuptiis, & præcepit, ut eadem die tres celebrarentur Miſſæ ad inſtar Natalis Domini, *ut in Martyrol. ſub die 24. Junii, Durand. ut ſupra Mer.* 582. Concilium Salegunſtadinen. decrevit, *ut quatuordecim dies omnes Chriſtifideles ante feſtivitatem S Jo: B. in abſtinentia ſint carnis, & ſanguinis.* Pontifex Nicolaus I. Bulgaris reſpondens ad eos ſcripſit a carnibus abſtinendum feria 6. niſi in ea incidant ſolemnia quędam feſta, quæ commemorat, atque inter ea feſtum S. Jo: B. recenſet, teſte, horum omnium, *P. Cavalerio par. 2. p. 114. & 116.*

In præſentiarum verò ſolemnizatur præfata feſtivitas cum prævio jejunio, cum præcepto ſantificationis, ſub ritu duplici 1. claſſis, cum octava, & apud Pontificem cum Capella Papali, & hæc omnia ſunt omnibus nota; Et memoria noſtra nobilitata fuit ſequentibus privilegiis nulli feſto alterius ſancti conceſſis; Quod ejus die non fiat de alio feſto, ita *S. R. C.* 11. *Maii* 1743. cujus decretum extat in

Curia

Curia, excepta tamen ſolemnitate Corporis Chriſti; quare reſcripſit ſingulari privilegio transferri in proximam diem 25. Junii, licet impeditam ab alio feſto, & concurrente Nativ. Præcurſoris cum Dedicatione Eccleſiæ, de illo ſunt recitandæ Veſperæ cum commemoratione Dedicationis juxta Decretum S. C. die 23. Iunii 1736. *Mer. to.* 2. *p.* 582. *n.* 327. *P. Cavalerius p.* 166. quę non ſunt conceſſa neque Principi Apoſtolorum juxta Decretum S. R. C. die 16. Maii 1744. emanatum, inſtantibus PP. Oratorii Civitatis Cortonen. cujus exemplar a dd. PP. mihi tranſmiſſum penes me eſt, qui cauſa Dedicationis illius Eccleſię occurrentis Dominica 5. poſt Pentecoſten, cadente illo anno in diem 28. Junii, humillimè inſtiterunt apud S. R. C. ut declararet, quomodo eſſent recitandę Veſperę, de Apoſtolis, an de Dedicatione, & de qua octava eſſet recitandum officium diebus infra octavam? Reſpondit S. C. Veſperas eſſe recitandas de Dedicatione, nec non de ea eſſe dicendum officium in diebus infra octavam cum commemoratione Apoſtolorum.

Qua de cauſa ergo tot privilegia Baptiſtę? rogat P. Jo: Cavalerius *par.* 2. *pag.* 62. Eorum originem, reſpondet eſſe ipſius Baptiſtę dignitatem, de qua (ſequitur ille) non eſſet finis, ſi in ejusdem laudibus nos vellemus effundere, enarrantes ex Evangelio, ac SS. Patribus privilegia plurima, quibus prę cęteris illum, Deo placuit, illuſtrare; ſufficiat Auguſtinus, qui *ſerm.* 21 de Sanctis ſic loquitur de Jo: Baptiſta: *Præcellit cæteros, eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus eſt, inferior eſt Jo:* audiatur & S. Maximus in hom. 3. Nat. noſtri Sancti ait de Eo: *Hic eſt, qui judicio cœleſtis ſententiæ cunctis Mortalibus antefertur, dicente Domino. Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta.*

Quando me hujuſce diſſertationis occaſio impulit, ut

 in

in lucem ederem excellentiam, prærogativas, & privilegia, quibus dies Natalis S. Joannis Baptiſtæ mirificè illuſtratur, non poſſum, quin ſtatim laudibus efferam accuratiſſimam SS. Benedicti Papæ XIIII. [cui diù felix imperium] operam, & diligentiam. Is enim, ut obſervantia pariter, atque veneratione digna celebraretur ab omnibus Sanctiſſimus ille dies, qui (ut Ipſe ait in ſuo publico Edicto] præcipuas inter ſolemnitates accenſetur, cavit per legem (ne quid vel minimum Populi licentia violaretur) ut, ante diem feſtum S. Jo: B. omnes, & ſinguli cujuſque generis, & conditionis, abſtineant comeſſationibus, popina, taberna, bacchanalibus, aliiſque id genus ſub pœnis inflictis in publico edicto, cujus penes me eſt exemplar, quod quotannis innovandum mandavit, & innovat, ut illę omnibus innoteſcant. Sic Ille occurrendum exiſtimavit eſſe Divinæ indignationi, dum vitio, atque licentia hominum grandines, & tempeſtates plerumque clariſſimum eum diem infeſtarent. Utinam hujuſce generis inhibitiones ubique gentium promulgarentur, multo melius, opinor, ſeſe res humanæ haberent.

Sed ne a laudibus & meritis S. Jo: B. juxta dictum P. Cavaletii, deprimamur, redeamus ad noſtram Metropolitanam, enucleando ſolemnes, præcipuoſque ritus, quibus celebravit, & celebrat ipſius Sancti feſta.

Ritum ſolemnem, qui adhiberetur in noſtrate Cathedrali antiquis temporibus, alibi jam expoſui; ideo ad illa Lectorem remitto: hoc unum tantum addam quod ex Bulla Epiſcopi Bonſilii *apud Ughell. ad annum* 1224. *confirmata a Gregorio IX. ut in lib. Conſtitutionum Capitularium*, Capellani Eccleſiarum Civitatis, & Burgi deberent viſitare noſtram Eccleſiam, inter alia feſta, etiam in feſtis S. Jo: Baptiſtæ. Ritus verò, quo in præſens celebrantur feſta Præcurſoris, eſt, qui infra ſequitur.

In

In Nativitate illius, prout peragitur in aliis ſolemnitatibus, pulſantur ſolemni ſonitu omnes nolę, celebrantur utręque Veſperę cum ſex Pluvialibus ultra Hebdomadarium, quibus abſolutis, ſi fuerit dies Dominica, ante Completorium in Organo Chiſiano cantant Muſici Antiphonam, vulgo *Mottetto*, organa incipiunt ſonitum ab ipſo exitu Hebdomadarii de Sacrario, quem ſonitum proſequuntur poſt quemcumque pſalmum, adhibetur cantus Muſicalis, Matutinum celebratur ſolemniter, incipiendo Canticum Gregorianum à prima Antiphona 3. Nocturni, ad Tertiam peragitur Hebdomadarii officium a Canonico, ad elevationem Miſſæ Conventualis mittuntur quatuor intortitia, quæ omnia celebrantur, niſi fuerit infra octavam Corporis Chriſti, ad Altare ejuſdem Sancti, etiamſi fuerit dies Dominica, qua die non relinquitur ſolitus Chori locus, niſi in feſtis noſtri Sancti, & SS. Virginis, in qua hypotheſi, recitata cum Hebdomadario Canonico hora Tertia in ſolito choro, poſt ſolitam aſperſionem aquæ luſtralis, quæ ſemper in noſtra Eccleſia peragitur in Dominicis ad Aram maximam, DD. Capitulares cum Beneficiatis procedunt ad præcipuam Capellam B. M. V., vel S. Jo: B. pro Miſſa Conventuali.

Omnia, quæ ſupra diximus ſervari in Nativitate, æque etiam ſervantur in ejus Decollatione, licet ſit duplex 2. claſſis, & feſtum ſecundarium, excepto, quod in Veſperis adhibentur tantùm quatuor Pluvialia ultra Hebdomadarium, & ad Matutinum cantus Gregorianus incipitur a capitulo Laudum, omnia autem ſupra expreſſa extant *in* 2. *p. libri D. Benevolentii in ſuis præciſis locis.* Cuinam feſto ſecundario alterius ſancti adhibentur tales Solemnitates? Nulli, nec ipſis quidem feſtis ſecundariis Principis Apoſtolorum, & noſtri Patroni Anſani; ergo ſignum eſt, quod noſtra Metropolitana, feſta Præcurſoris reſpexit ſemper ut peculiaria, & ſolemni ritu celebranda.

Quiſ-

Quiſnam Senenſium eſt, qui ignoret, quanta ſolemnitas habeatur apud Metropolitanam in veſperis feriæ ſecundæ Pentecoſtes honoris gratia Dexteræ noſtri Sancti? Atque utinam vetus illa, multis quidem annis intermiſſa, ſed tandem ſumma omnium ordinum acclamatione repetita conſuetudo ſermonis de Baptiſtæ laudibus habendi, extremis hiſce temporibus non iterum obſoleviſſet! Egomet hiſce auribus audivi, quum Nobiles nonnulli, ac Primarii hujus Civitatis Viri conquererentur, quòd tot labores, tantæque curæ pro intermiſſi ſermonis reſtitutione ſuſceptæ fruſtra eſſent, atque ob eam cauſam Populi ad eam celebritatem confluentis multitudo non mediocriter imminuta fuiſſet: Poſſet profectò (inquiebant illi) committi ſermo alicui ex Nobilibus Juvenibus, iis fermè ſimilibus, qui ad Divos Bernardinum, & Catharinam laudandos ſeliguntur; Poſſet etiam fortaſſe (addebant) talis functio deduci ad præcedentem diem Pentecoſtes, atque ita æquipararetur Dominica Pentecoſtes Dominicæ Reſurrectionis, ac propter illius celeberrimi diei ſanctitatem, populi frequentia augeretur; atque adeo iterato incommodo Archiepiſcopus, Excelſuſq; Senatus levaretur. Horum ego hominum juſtiſſimas querimonias, cogitationeſque prudentiſſimas non contemnendas putabam, ſed quid facerem, quidve iis reſponderem, non habebam. Verùm dum in ea cogitatione tacitus immorarer, Deus, cui Præcurſoris ſui gloriam ſummæ curæ eſſe minimè dubitandum eſt, illorum pium deſiderium non eſt paſſus irritum eſſe; Non multos poſt dies, ecce tibi Divino, opinor, afflatu, ſe mihi quidam offert, affirmatque ſibi in animo eſſe, ſuis expenſis cenſum conſtituere perpetuum, ut quotannis publicæ adorationi in feſto Præcurſoris ejus Sacra Dextera exponatur, utque honeſtum ſtipendium tribuatur Sacerdoti ſermocinanti eo die, quo de more Brachium Baptiſtæ Populo oſtenditur; Necnon pro deco-

decore noſtræ Metropolitanæ, ut ad Aram noſtri Sancti, in illius feſtis, & Solemnioribus Eccleſiæ cerei ardeant. Pium profectò, ſanctiſſimumque conſilium; ſed quum ea omnia perfici non poſſint, niſi Optimatibus, cœteriſque, ad quos pertinet, conſentientibus, eorum judicium expecto, quidque illis pietas, & prudentia ſuadeat, tacitus attendo.

Pro coronide tandem hujus, quæcumque ea ſit, diſſertationis meæ, illud adjicio; Si omnes tam antiqui, quam recentes ritus, diligenter penſentur, ſi cæremoniæ, ac ſolemnitates, quibus Eccleſia Romana, & Senenſis Præcurſoris feſta proſequi conſueverunt, in animum revocentur, ſi demum præcelſa illius merita, ac peculiaria privilegia juſta lance ponderentur, non dubito, neminem, tam injuſtum rerum æſtimatorem futurum, qui me erraſſe dicat, cum in Calendarii editione Hebdomadarii munus ad S. Jo: Bapt. Matutinum Canonico demandaverim, id ſcilicet exigente pervetuſta Eccleſiæ noſtræ conſuetudine. Sed & audeo affirmare, etiamſi hujuſcemodi conſuetudo pro me non ſtaret, ob ſuperius allata validiſſimarum rationum momenta, omnino, quod ego indicaveram, fuiſſe faciendum. Supereſt, ut ea, quæ dixi, veritatis ſtudio dicta eſſe ab omnibus intelligantur, neque a quoquam in aliam partem detorqueantur; Ego enim nemini quidquam aut exiſtimationis detractum, aut authoritatis imminutum volo, ſed debitum omnibus obſequium, & reverentiam volens, ac libens impertior.



Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
NOTABILIUM,
Quæ continentur in hac diſſertatione.

OBſervantia Sacrarum Cæremoniarum Deo grata, & meritoria pag. 5 *& ſeq.*
Cauſa hujus Diſſertationis pag. 6. *& ſeq.*
Doctrina Pii 2. *de Magiſt. Cærem. p.* 8.
Monitum Alex VII. p. 9.
Peritia, & univerſalis exiſtimatio Archiep. Marſilii p. 11.
De priſcis ritib. Eccl. Senen. in Nat. S. Jo: B: p. 13.
De aſſiſt. Capit. Senen. Matutinis, & de ritu p. 17. *& ſeq.*
De vi uſus, p. 21. *& ſeq.*
Bulla, Cærem. & Decr. non tollunt uſus p. 22. *& ſeq.*
De differentia Decretor. p. 25. *& ſeq.*
De uſibus Capit. Senen. p. 26. *& ſeq.*
De uſib. Eccl. Senen. pro Hebdomadario p. 29. *ad* 56.
De uſu Hebdomadarii Metropolitanæ Florentinæ p. 30.
Conſtitutiones Capituli Senen. pro Hebdomad. p. 31. *& ſeq.*
De uſib. legendi lect. Matu. pro Eccl. Senen. & aliis p. 53. *& ſeq.*
Duplicia 1. *claſ. ſunt feſta magnæ ſolemnitatis p.* 57.
In iis non dicit. Miſ. ſolemn. defunct. præſente Cadaver. p. 57.
De pulſat. nolarum ad Miſſam Conventualem in feſtis ſolemn. p 58. *& ſeq.*
Solemnitates 1. *Veſp. conveniunt Matut. & Laud. p.* 56.
Dignitas, & præminentia feſtor. p. 63.
Ritus, & ſolemn. ac Priviligia Nat. S. Jo: B. a p. 63. *ad* 69.
Zelus Bened. XIV. p 66.
Ritus, & Solemn. Eccl. Senen. in feſtis S. Jo: B. & in fer. 2. *Pent. p.* 67. *& ſeq.*
Pium, & ſanctum deſiderium multor. Senenſium erga S. Jo: B. p. 68. *& ſeq.*

617264

Digitized by Google

Digitized by Google